DE NEPTUNO

EJUSQUE CULTU

PRÆSERTIM IN PELOPONNESO

THESIM PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

ÆMILIUS BURNOUF

LICENCIATUS ET PHILOSOPHIÆ PROFESSOR.

> Ἐς τὰ Ἀρκάδων προσεληλυθὼς, πρόνοιαν τοιάνδε ἐλάμβανον· Ἑλλήνων τοὺς νομιζομένους σοφοὺς δι' αἰνιγμάτων πάλαι, καὶ οὐκ ἐκ τοῦ εὐθέος λέγειν τοὺς λόγους.
>
> PAUSANIAS, VIII, 8.

PARIS.

IMPRIMERIE DE JULES DELALAIN.

IMPRIMEUR DE L'UNIVERSITE,

RUES DE SORBONNE ET DES MATHURINS

M DCCC L.

DE NEPTUNO.

o

DE NEPTUNO

EJUSQUE CULTU

PRÆSERTIM IN PELOPONNESO

THESIM PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

ÆMILIUS BURNOUF

LICENCIATUS ET PHILOSOPHIÆ PROFESSOR.

Ἐς τὰ Ἀρκάδων προσεληλυθώς, πρόνοιαν τοιάνδε ἐλάμβανον· Ἑλλήνων τοὺς νομιζομένους σοφοὺς δι' αἰνιγμάτων πάλαι, καὶ οὐκ ἐκ τοῦ εὐθέος λέγειν τοὺς λόγους.

PAUSANIAS, VIII, 8.

PARIS.

IMPRIMERIE DE JULES DELALAIN,

IMPRIMEUR DE L'UNIVERSITÉ,

RUES DE SORBONNE ET DES MATHURINS

M DCCC L.

DE NEPTUNO

EJUSQUE CULTU

PRÆSERTIM IN PELOPONNESO

THESIM PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

ÆMILIUS BURNOUF

LICENCIATUS ET PHILOSOPHIÆ PROFESSOR.

Ἐς τὰ Ἀρκάδων προσεληλυθὼς, πρόνοιαν τοιάνδε ἐλάμβανον· Ἑλλήνων τοὺς νομιζομένους σοφοὺς δι' αἰνιγμάτων πάλαι, καὶ οὐκ ἐκ τοῦ εὐθέος λέγειν τοὺς λόγους.

PAUSANIAS, VIII, 8.

PARIS.

IMPRIMERIE DE JULES DELALAIN,

IMPRIMEUR DE L'UNIVERSITÉ,

RUES DE SORBONNE ET DES MATHURINS.

M DCCC L.

DE NEPTUNO

EJUSQUE CULTU

PRÆSERTIM IN PELOPONNESO

THESIM PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

ÆMILIUS BURNOUF

LICENCIATUS ET PHILOSOPHIÆ PROFESSOR.

Ἐς τὰ Ἀρκάδων προεληλυθὼς, πρόνοιαν τοιάνδε ἐλάμβανον· Ἑλλήνων τοὺς νομιζομένους σοφοὺς δι' αἰνιγμάτων πάλαι, καὶ οὐκ ἐκ τοῦ εὐθέος λέγειν τοὺς λόγους.

PAUSANIAS, VIII, 8.

PARIS.

IMPRIMERIE DE JULES DELALAIN,

IMPRIMEUR DE L'UNIVERSITE,

RUES DE SORBONNE ET DES MATHURINS.

M DCCC L.

DE NEPTUNO.

0

DE NEPTUNO

EJUSQUE CULTU

PRÆSERTIM IN PELOPONNESO

THESIM PROPONEBAT FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

ÆMILIUS BURNOUF

LICENCIATUS ET PHILOSOPHIÆ PROFESSOR.

> Ἐς τὰ Ἀρκάδων προσεληλυθώς, πρόνοιαν τοιάνδε ἐλάμβανον· Ἑλλήνων τοὺς νομιζομένους σοφοὺς δι' αἰνιγμάτων πάλαι, καὶ οὐκ ἐκ τοῦ εὐθέος λέγειν τοὺς λόγους.
>
> PAUSANIAS, VIII, 8.

PARIS.

IMPRIMERIE DE JULES DELALAIN,

IMPRIMEUR DE L'UNIVERSITÉ,

RUES DE SORBONNE ET DES MATHURINS.

M DCCC L.

DILECTISSIMO CONSTANTIQUE AMICO

I. VINCENT

MECUM QUONDAM SCHOLÆ NORMALIS ALUMNO

NUPER GALLICÆ IN ATHENIS SCHOLÆ PROFESSORI

SEMPER FORTUNÆ LABORUMQUE PARTICIPI.

Οὐ φαύλως τὸν Θεὸν αὐτόν φασι
ποιεῖν φίλους αὐτοὺς
ἄγοντα παρ' ἀλλήλους.

Πλάτων, Λύσις, § 24.

DE NEPTUNO.

I.

Quisnam sit Neptuni vultus habitusque; quænam indoles; ubinam habitet; quisnam ipsi comitatus.

I. Paucissima quidem artis antiquæ monumenta, quibus integra Neptuni imago repræsentetur, ad nostra tempora pervenerunt. Eorum enim quæ nostris exstant diebus, alia manca sunt, nec semper ita multis partibus conservata ut facile restitui possint; alia autem partem aliquam hujus dei, et illam sæpissime suis destitutam insignibus, solummodo demonstrant. —In Museo Parisiaco Neptuni statua nulla est; quum multa sint in illis ædibus anaglypta, vix tamen ullum invenies, quo hujusce numinis facies efficta sit, nisi forte illud anaglyptum exceperis, quod in magno illo altari cernitur nuper in Borghesiaca villa conservato, nunc autem triangularis nomine designato. Adde etiam, nisi quis te errare contendat, parvum quoddam anaglyptum quo Bacchi [1] exhibentur natalia; in eo enim quoddam numen rem ipsam sedens considerare videtur; quod quidem Neptunum esse non immerito arbitreris, si memineris vix ortum in lucem Bacchum duabus mandatum nymphis a Terra matre fuisse, et illas ipsas virgines, Ino et Melicertæ commercio quodam conjunctas, non omnino a Neptuni cœtu abhorrere : at in eo de quo dicimus anaglypto sedentis dei caput aliunde allatum est. Romæ exstat etiam nunc integra quædam Neptuni statua, quam in Medicea villa, unam quidem in tota urbe

1. Mus. Louv., n° 259.

ideoque magni faciendam videas. Si caput quoddam Neptuni, Ostiæ quondam inventum, nunc autem in Vaticano conservatum, addideris, vix ullum aliud signum ad imaginem *Posidonis* effictam in universa civitate invenies. Habetur autem in Museo Borbonico æneus Neptunus, Herculani inventus, quem, non antiquis valde temporibus fusum, ex veteri magis imagine atque exemplo expressum fuisse arbitrer, nec parvi ideo pretii nobis esse debere. In eadem etiam civitate complures sunt pompeianæ picturæ Neptuni reddentes imaginem, et ideo multi faciendæ quod non oris tantum lineamenta, sed colorem etiam et vestes numinis in tabulis depicta videre est. Nullum tamen artis antiquæ opus ad nostra tempora pervenisse affirmaverim, quod illam Neptuni statuam vincat in occidentali Parthenonis fronte a Phidia exsculptam; quæ nunc Londini est, multis sui partibus vetustate obtruncata, nec jam integra quum ipsam in charta Carreius delineavit[1]. Earumdem ædium exstat etiam nunc Athenis fragmentum quoddam zoophori optime in mediis templi ruinis conservatum, in quo sedens deus in deorum cœtu Panathenæis adest. Inest quoque in Arimini arcu Neptunus, in æreis quibusdam tum in Germania, tum in cæteris partibus Europæ, operibus, in vasibus depictis, gemmisque et permultis etiam nummis quorum ii præcipui sunt quibus in Bruttio, Corinthi, Cymæ, Adramytti, Tarenti et regnante Antigono utebantur.

Non omnia equidem, neque singula antiquæ artis monumenta retuli ex quibus Neptuni facies animo possit repræsentari; illa solummodo retuli quæ cæteris præstare mihi visa sunt. Quæ si intueri velis, facillime intelliges quam paucæ adhuc pervenerint hujusce numinis imagines, maxime vero istæ imagines quæ, quum de marmore starent aut templis insculpta viderentur, non parvi erant momenti tum in arte ipsa tum in deorum cultu ac religione. Neque tamen ex eo

1. Cf. etiam : Broendsted, Voy. et Rech. dans la Grèce; 1830.

colliges non sæpius arte antiqua expressam fuisse Neptuni imaginem, aut ipsum in Græcis religionibus inter deos maximos non annumeratum fuisse : quum permulta ubique Neptuno erecta fuissent non signa tantum, verum etiam templa aliaque monumenta. Quæ quidem veteres scriptores, maximeque Pausanias et Plinius, permulta referunt, nonnulla describunt, nec minus ex ipsorum verbis quam ex locis quibusdam poetarum atque historicorum judicare poteris in universa Græcia tanquam maximum numen cultum fuisse Neptunum.

1. Utcunque se habent ista, ex iis quæ nobis artis antiquæ monumenta supersunt, quis sit iste deus non male neque perperam dignoscere possemus, etsi non nobis etiam in promptu essent tam multa a veteribus scripta, unde illa ipsa monumenta interpretemur. Pleræque igitur istæ, de quibus diximus, imagines agentem aliquid aut ad agendum sese accingentem Neptunum nobis præbent, paucissimæ vero cessantem et quiescentem. Nunc tridentem manu tenens stat rectus, pede in saxo quodam imposito[1] longissime et quasi in pelagus aciem oculorum protendit; nunc cito gressu procedit, quassat tridentem dextera, ut ipsum in Posidoniæ nummis videre est[2]; alias, cito progreditur, tanquam maris planitiem radens, cujus habet imperium; sæpius curru, marinis equis subjunctis, invehitur, sinistra tenet habenas, dextra quassat tridentem[3]. Quæ quidem inquieta indoles Neptunum ab aliis quibusdam numinibus secernit, quæ vulgo quiescentes, divina cum majestate, effinguntur; ut est Jupiter, Neptuni frater, ut est etiam Cybele solio sæpissime insidens, turrita corona redimita, *crotalum* sinistra tenens, leone ex utraque solii parte adstante. Non alibi majori cum dignitate expressus fuerat Jupiter quam in Alti olympica, ubi solio insidens, fulmen dextera tenebat, sceptrum autem sinistra, quietus ad-

1. O. Muller, § 361, 5. — Jahn, Vasenbild, tab. IV.
2. Paoli, Rov. di Pesto, V, 58, 62. — Candel. M. Pio-Cl., IV, 32.
3. Gemma, O. Mull. Atl. arch., tab. 33, fig. LXXXVII.

modum et tanquam immotus [1]. Non alius erat Palladis in Parthenone habitus, quæ stabat in armis quieta, hastam altera manu tenens, altera Victoriam, clypeo in ipsius pedibus humi deposito [2]. Neptunus autem, ut in insigni Corinthiaci Isthmi templo ebore auroque expressus fuerat, curru vectus, mobili quodam marinorum numinum cœtu circumdatus videbatur [3].

2. Nec solummodo quietus rarissime Neptunus effingitur, verum etiam sæpius violento et incomposito motu percitus apparet. In celebri illa occidentem versus Parthenonis facie, cum Pallade Athena erat compositus : ejus habitus pugnantis erat viri. et jamjam, ancipiti prœlio, victoriam Jovis filia reportabat; ipse autem, inclinato corpore, distentis cruribus, demisso sinistro brachio, dextrum attollit tanquam tendens retinacula, equis jam ab ipso semotis; inquietus admodum et conturbatus dei habitus est. — In illa autem gemma, de qua jam antea diximus [4], dum currus summa cum velocitate in maris planitie volvitur, ipse dextrum pedem retrahit, retroque superiori parte corporis rejecta, tendit lacertos quasi tridentem projectare velit hostemque ictu violento percutere.— Gigantem quemdam Polyboten insequitur et avulsa Coi insulæ parte opprimit [5]. — In Iliade [6] autem, postquam in excelsum Samothraces montem conscendit atque inde paulisper pugnantes contemplatus est, « Statim, inquit Homerus, præcipiti gressu ex aspero monte descendit; sub ipsius divinis pedibus rupes procul saltusque tremunt. » — « Ubi autem Achæi omnibus armis instructi sunt, in hostem feruntur; Neptunus ante ipsos progreditur, gladium fulgure splendidiorem ferens; nullus est in prœlio mortalis, qui tanto

1. Quatr. de Quincy, Jup. Ol.
2. Plin.
3. Paus. Cor. I.
4. O. Mull., tab. 33, Arch.
5. Paus. I, 2. — Panofka, I, 16.
6. Lib. XIII, 10.

numini incurrere audeat, tantam mentibus incutit formidinem [1]. » — Postquam Ajacem in magnas Gyaræ rupes impulsum e mari tandem servavit, ipse impiis viri verbis iratus, timendum arripit tridentem, scopulum in quo Ajax insidebat percutit, fractumque cum tanto heroe sub undas præcipitat [2].

Ergo sæpius cum habitu corporis inquieto violentus ipse et incompositus Neptunus effingitur. Nonnunquam tamen quietos et ipse animos præ se ferre, divinamque in vultu majestatem dignitatemque videtur. Non enim aliter repræsentatus est, non solum in Bruttii nummis [3], in quibus cinctus est diademate, vel in Antigoni, qui huncce deum tranquillum augustumque admodum demonstrant; sed etiam in Parthenonis zoophoro, ubi cum Atheniensi rege Erechtheo colloquitur. Ipse Virgilius scripsit « placidum caput extulit undis; » quam quidem imaginem depingere non sibi licentiam dedisset, ut arbitror, nisi veteres talem aliquando Neptunum effinxissent. Ausim etiam contendere non modo placidum esse aliquando Neptunum, nedum semper incompositus violentoque motu agitatus videatur, verum etiam subridentem arte antiqua fuisse expressum : illa enim, quam Græci plasticen artem appellabant, non semel eum ostendit cum nymphis quibusdam maris fontiumque commercium amoris habentem; nec verisimile est ipsum non ejus fuisse habitus qui rei temporibusque congrueret.

3. Diversos igitur naturæ humanæ mores, etiamque totius rerum naturæ quantum mobilis est et tanquam interiori mente agitata, reddit Neptunus, nunc lenis et blandæ, nunc placidæ et ferme immotæ, alias vero conturbatæ atque formidandæ. Si tamen attente magis considerem quas sculptura picturaque apud veteres Neptuno formas tribuerunt, non eumdem in iis concentum, non eamdem tranquillitatem inveniam, quæ in universis singulisque Jovis formis apparent. Deorum

1. Il. xiv, 384.
2. Odyss. iv, 499.
3. Nohden, 1.

enim hominumque pater, unus inter numina erectos media in fronte habet capillos ex utraque parte instar jubæ recidentes; frons ipsi quasi radians est et luce circumfusa; oculi superciliis conditi tanquam alta meditantis, magni tamen et venusti; labia genæque mollibus curvisque lineis apte terminata; barba cincinnis ornata multis atque eleganter dispositis; pectus amplum et animosum; robusti nec tamen sejuncti sulcatique lacerti; ita ut totum ipsius corpus, justo partium consensu et quasi numerose compositum, leni majestate splendeat [1]. Neque hunc formæ concentum deorum pater amittit quum placidus ipsi minus habitus est, seu adversus Gigantas fulmen contorqueat [2], seu cum hoste aliquo compositus depugnet [3]. Non ita ingenio est Neptunus : quanquam enim, divinæ religioni per affinitatem connexa, naturaque ipsa ad id tendens quod pulcherrimum est, ars antiqua Neptuno quoque hunc vultum, hanc corporis formam tribuere debuit quæ numinis est; si tamen ipsas quas possidemus dei effigies intueamur, jam antiquis temporibus, nudus violenterque permotus nobis apparet. Postea vero ipsius imaginem perfectam magis effecerunt, aptaque illa figura quam *canonem* appellabant inventa est, neque jam ab ea digressi sunt : corpus excelsum ac tenue, valde eminentes lacerti; pectus, ut viri est, amplum et expeditum, magis tamen quam Jovis quadratum, sic enim ipsius imaginem depinxit Homerus quum Agamemnonis cum Neptuno comparati laudat pulchritudinem; non os ita serenum ac pellucidum; non erecti supra frontem capilli, sed ex utraque parte remissi et profluentes, aliquando etiam incompti et pæne horrentes, immixtis pineis frondibus. Ille quidem Neptunus, quem in Parthenonis fronte Phidias insculpserat, tensos habet lacertos, venasque turgidas; ejusdem figura quæ in zoophoro eminebat deum præbet alta cogitatione permotum, nec placidos gerentem vultus, quan-

1. Q. de Quincy, Jup. Ol.
2. Gemma Athenionis, M. Borb. I, 53.
3. Pâte ant. Schlichtegroll, 23.

quam tempori atque divinæ naturæ congruentes. At in Vaticano videre est [1] caput quoddam Neptuni, cujus capilli adeo permixti sunt, ut tales nunquam in Jovis imaginibus inveneris. Ænea quædam statua Herculani inventa est [2] qua deus ostenditur ad palum innixus, terribili feroque adspectu, mixtis horridisque capillis. Ille denique Neptunus, qui in Medicea villa asservatur, feros ferocesque habet vultus [3].

Quam in poetarum scriptis Neptuni imaginem invenire est, ea cum illa consentit quæ cæteris artibus in Græcia efficta est [4]. Cæruleam habet cæsariem, glaucos autem oculos; nubilus ipse est obscurusque et nocti similis; barba vero crispa est, sæpiusque profluens, neque aptis unquam ut Jovis est ornata cincinnis. Unde scripsit Valerius Maximus : « Euphranor, quum Athenis duodecim deos pingeret, Neptuni imaginem quam poterat excellentissimis majestatis coloribus amplexus est, perinde ac Jovis aliquanto augustiorem repræsentaturus [5]. » Sic etiam loquitur de Neptuni Jovisque filiis Aulus Gellius, tanquam amborum mores in sobole agnoscens : « Præstantissimos virtute, prudentia, viribus Jovis filios poetæ appellaverunt, et Æacum, Minoa et Sarpedonem, ferocissimos et immanes et ab omni humanitate alienos tanquam e mari genitos, Neptuni filios dixerunt, Cyclopas et Cercyona, et Scirona, et Læstrygonas [6]. »

4. Vestis autem ipsi plerumque antiquis temporibus ionica, quam ἱμάτιον nominavere, ampla atque demissa [7], vel dorica quam in Pæsti nummis videre est. Aliquando pallium habet sinistro brachio circumvolutum, quod quidem in antiquæ artis operibus sæpe aliquis notare possit; sic enim in

1. Mus. Chiar., 24.
2. Antiq. Erc., VI, 9.
3. Winckelmann., IV, pl. 8, *a*.
4. Aristoph. Nub. 566. Τόν τε μεγασθενῆ τριαίνης ταμίαν γῆς τε καὶ ἀγρίας θαλάσσης ἄγριον μοχλευτήν.
5. Val. Max., VIII, 11, 5.
6. N. Att., XV, 21.
7. Gerhard. Antik. Bildw. — Cornutus, 22.

iisdem illis nummis repræsentatur, recentibus nonnunquam, veterem tamen ad effigiem expressis[1]. Postea autem ideo ademptæ omnino vestes, quod si quis nudus effingatur vivida magis præstantiorique ornari possit venustate; quod quidem in Aphrodites signis maxime conspicuum est. Quum autem numina quædam vestita semper mansere, ut sunt Pallas, Artemis, Cybele, Demeter etiam ipsiusque filia Proserpina, nunquam ferme vestitus Neptunus visus est, quia natura inquietus et immodestus non ita facile cum vera sua indole in vestimentis exprimi poterat.

5. Ipsi autem insignia sunt, non in sculptura modo picturaque, verum apud poetas cæterosque etiam scriptores, tridens atque delphinus; quorum quidem alter piscatoriæ instar hastæ, qua in thynni[2] captura utebantur, inventus videtur fuisse. Delphinus[3] autem inter omnes quæ in mari vescuntur belluas frequentissimus conspicitur, tum in cæteris interioris maris partibus, tum præcipue circa Græciæ Asiæque minoris littora; portus enim, vadosasque oras et freta libens habitare solet, ubi facilem victum potest sibimet suppeditare; navesque prosecutus in ipso pelago supra maris planitiem apparet. Inter cætera Neptuni insignia non immerito notabimus marinæ frondis[4] coronam, equos tum expeditos, tum subjunctos currui, tum etiam alatos; aliquando ipse deus curru vehitur Tritonibus vel hippocampis[5] trahentibus; interdum stat rectus in extrema navis prora aplustri ornatæ. Invenire etiam est imagines Neptuni saxo insistentis de quo fons quidam defluit; in Isthmo denique Corinthiaco deus curru vectus aureo, pinea corona redimitus videbatur.

1. Claud. Rapt. Pros. II, 179.
2. Athenæus, VIII, 346.
3. Gerh. Tab. VII, CXLVII et sq.
4. Gerh. Tab. XLVII. — Forchhammer, Apoll. Ankunft zu Delphi, p. 20.
5. Strab. VIII, p. 381. — Gerh. tab. X; tab. LXIII.

II. 1. Seu quis antiquas deorum imagines intueatur, sive poetarum versus cæteraque scriptorum opera evolvat, mox persuasum habebit non maleficum neque mortalibus infestum esse numen Neptuni, quamvis inquietæ sit indolis et nonnumquam violentæ. Quum enim veteres Græciæ poetas percurro, Homerum dico atque Hesiodum et si quid ex aliorum versibus ad nostra tempora pervenerit, in Iliade Neptunum video equidem adversus Trojanos pugnantem infesto sane ipsis numine; verum, ut sæpius in rerum natura casus aliquis dum nocet quibusdam hominibus, permultis affert utilitatem ac fructum, deus quoque dum Trojanis hostis est, pro Achæis dimicat, et simul suam ulciscitur injuriam melioremque causam defendit. Nec semper ita hostibus infensus est ut nunquam mitescat: non enim Jupiter, non ipsa parens Venus ex Achillis manibus Æneam in prœlio eripit, sed Neptunus nube Pelidæ oculis circumfusa[1]. Idem ille deus postquam, in Odyssea, Ajaci navem impegit scopulis, retrahit, et heroem e fluctibus elapsum servaverat, nisi impiis ipsius verbis divinus furor exarsisset[2]. Ergo non inter numina illa annumerandus est quæ pavoris causa coluntur, ut sunt Eumenides atque Erinnyes; non æque etiam ac Pluto timetur, qui, ex eodem loco exortus, obscurum regnum sortitus est quod omnes ante diem invisere pertimescunt. Neque privatis solummodo hominibus inservit tum in Iliade, tum in Odyssea nec non in multis aliis scriptorum libris; sed universis una mortalibus magnum hoc contulit beneficium, equum silicet, sive ipse in Arcadia[3] genuerit aut tridenti tellurem percutiens frementem effuderit[4], sive antiquis temporibus et ante Jovis, Neptunique et Plutonis victoriam natum primus domuerit curribusque subjunxerit[5].

1. Il., xx, 341.
2. Od., iv, 504.
3. Paus., viii, 25.
4. Virg. Georg., i, 12.
5. Hom. Hym. i, 230. — Soph. Œd. Col., 707.

Quum injuriam Argivorum ultus est, desiccata universa regione, ita quidem ut Inachus nullas jam in civitatem undas deferret, non ultionem tamen omnino perpetravit; Amymonæ enim Danai filiæ amore inflammatus, pulchrum illum atque copiosum fontem retexit quem virginis nomine voluit esse designatum [1]. Idem iste deus qui terram concutit, terræ etiam firmat fundamenta; et qui duplici potestatis suæ usu Helicen et Buram labefecit atque Achaici maris fluctibus cooperuit, idem antea Iliacos muros exstruxerat qui inconcussi permansissent, nisi luissent Laomedontis perjuria. At non illa quidem revera beneficia sunt, si quis equi donum velit excipere; non enim boni aliquid Neptunus dat hominibus, malo tantum abstinet. Quod si quis objecerit, animadvertat tamen eumdem hunc deum, qui equum et equi curribus subjungendi artem hominibus dono dedit, quique iliaca exstruxit mœnia, secundos quoque ventos mari immittere, naves servare [2] sæpius media in tempestate; fluviorum fontes e terra scopulisque effundere; sub terris aquarum cursum dirigere; nec non ab alendis augendisque plantis arboribusque esse alienum, ut ex ejus cum Cerere Coraque in Arcadia commercio apparet; si denique fabulæ cuidam ab antiquis temporibus usque ad Pausaniæ tempora acceptæ confidamus, Neptunum, postquam cum Tritonidis lacus nympha concubuisset, parentem fuisse Minervæ, magnum sane præclarumque erga mortales beneficium, quum nihil ab eis prudenter deliberari matureque incipi possit nisi dea adsit Minerva.

2. Nemo tamen negare possit Neptunum non æque hominibus amicum esse ac multa alia numina, Jovem scilicet, Cererem, Palladem Apollinemque. Est enim animi impotens iræque impatiens : ægre molesteque fert Jovi se esse obnoxium, fratri scilicet et regni imperiique participi [3]. Ex

1. Hes. Frag. 69.
2. Vocatur σωτήρ in Herodot. VII, 192.
3. Il., XV, 185.

quo cæca fortunæ lege, quam summa ipsa numina non fugiunt, indomito cuidam elemento, mari scilicet et aquis, præfectus est, dum in superiori parte cœli facile exercet imperium Jupiter, nullam habet quietem Neptunus, neque unquam divinitate sua fruitur. Iræ igitur properus, extemplo adversus homines divosque injurias suas ulciscitur : nonnunquam equidem læsus diisque iratus furorem tamen remittit, timet enim ac reformidat fratris vires et fulmina [1], nec non [2] priscorum numinum sævitiam [3]. Quum autem adversus ipso inferiores irascitur, homines dico heroasque, vel civitates ac terræ regiones, minas ultio subsequitur. Quum enim Minos, fide violata, unum ex suo grege taurum immolavisset in hujus tauri loco qui e maris fluctibus emerserat; vix absoluto sacrificio taurus ille promissus negatusque furore percitus est, et jubente Neptuno filia regis Pasiphae libidinoso amore inflammata [4]. Ira autem dei, postquam Laomedontis perjurio [5] exarsit, non prius remissa est quam sublati essent Trojani, eversaque civitas, totaque regio excidio data. Quid est vero Odyssea nisi Neptuni furoris simul et Ulyssis errorum narratio? Qui si tamdiu per maria omnia vectus est, quid erat causæ nisi filium Neptuni præclarum dilectumque in primis Polyphemum oculis orbatum reliquisset [6]? Timebant igitur huncce deum Græci veteres; quod quidem ex quodam loco Xenophontis historiarum apparet [7] : « Prima die, inquit, postquam Argolida occupaverunt, dum rite libamenta perficiebat Agesipolis, terra mota est. Cuncti statim Lacedæmonii hymnum Neptuni, post regis comites, concinuere; cæteri vero

1. Il., xv, 223.
2. Il., vii, 452.
3. Il., i, 400.
4. Apollod., v, 7.
5. Il., vii, 452; xxi, 443. — Eurip. And., 1014. — Hygin. Fab. 89. — Virg. Æn., i, 550; iii, 3; viii, 157.
6. Od., i, 69.
7. Hellen., iv, 7.

milites ultra se processuros negabant, quia quondam, postquam terra mota fuisset, ipsos ex Elide Agis eduxerat. Animadvertit tamen Agesipolis, non priusquam ingrederentur motam fuisse quod quidem dei adversi signum foret, postea autem assentiente secundoque Neptuno. Postera die sacra deo absolvit, ultraque progressus est. » Quæ quidem minime ficta falsaque fabula est, sed vera simplexque narratio. Item est de illa quæ memoriæ prodita est Helices et Buræ ruina, quæ tantam Græcorum animis formidinem incussit; terra [1] enim Neptuno jubente mota est et funditus eversa; eodemque anno, nondum placata ira dei, exundans Achaicum mare urbem ac templa deorum fluctibus cooperuit. Jam cæsis supplicibus qui in Tænarii Neptuni templum confugerant, sacrum dei specus Lacedæmonii fuso cruore violaverunt; irato igitur numine, violenti terræ motu Lacedæmon [2] concussa est, pæneque omnes in urbe domus eversæ sunt; summa corruere in planitiem Taygeti cacumina, quæ quidem, ne quis factum negare possit, etiam nunc non procul ab urbe *Mistra* videre est. Neque suas tantum sed sobolis etiam ulcisci solet injurias Neptunus, neque patitur filios nymphasve suas impune contemni : non enim deum ipsum offenderat Cephei conjux Cassiopea; sed semet Nereidas pulchritudine vincere contendebat, Neptuni filias; ergo, suscepta earum causa, totam Æthiopiæ regionem inundat, monstrumque immittit, cui tradi jubet oraculum Cassiopeæ filiam Andromeden [3]; et illa sane tradita est, neque prius in libertatem vindicata quam, interveniente alio numine, belluam heros Mycenæus Perseus occidisset.

Non miror igitur, quum tantis terra marique calamitatibus ira dei exerceretur, tantam animis formidinem injicere Neptunum; neque miror etiam eumdem sæpius cum incomposito feroque vultu depictum esse in tabulis aut marmore

1. Paus., VII, 24.
2. Paus. Lac., 14; anno 469 ant. C.
3. Apollod., II, III, 3.

aut ære expressum, et formidandum a poetis cæterisque scriptoribus plerumque dici. Non hunc sane dedecet latum pectus [1] magnamque habere potestatem [2], vel magno cum fragore progredi [3], vel tribus gradibus totum inter Samothracen atque Ægas [4] civitatem intervallum transgredi; Alcathoo oculorum aciem ita perstringere ut immotus et columnæ altæque arbori similis restet [5] mediis etiam hostibus; compositasque inter Trojanorum et Achæorum turmas clamorem tollere ad pugnam procedentis exercitus clamori similem [6]. Namque nemo est qui neget non impari fragore pontum saxis et littoribus per tempestates impingere Neptunum, aut fluvios in profunda terrarum agere præcipites, aut terras civitatesque quassare, summaque avellere montium cacumina.

Ergo quæ ex supra dictis sequuntur, colligamus : ea est Neptuni dei imago, qualem in picturæ sculpturæque antiquæ monumentis nec non in poetarum historiæque scriptorum libris expressam invenire est. Ut autem quam paucissimis verbis utamur, Neptunum dicimus unum esse ex magnis Græciæ numinibus; qui quidem, seu terra sive mari vires exerceat, duro et intractabili ingenio fere est; iræ properus, violentusque agendo; inquietæ et incompositæ indolis. Corporis motus orisque lineamenta ipsi ea sunt, ut, quamvis divinæ majestati non prorsus repugnent, hunc tamen fratris sui natu majoris, Jovis scilicet, reddant dissimilem. Placidum enim Olympi regi ingenium est; Neptuno autem indoles quædam vehemens et immoderata, unde fit ut terribilis magis quam amore dignus, et, si non omnino maleficus infestusque mortalibus, non pater tamen patronusque et pacator orbis videatur.

1. Εὐρύστερνος. Il., II, 479.
2. Εὐρυσθένης. Odyss., XIII, 140.
3. Ἐρίκτυπος, Hés. Théog., 456; ἐρισφάραγος, Hom. Hym. Herm., 187.
4. Il., XIII, 10.
5. Il., XIII, 437.
6. Il., XIV, 147.

III. Quanquam potestatem suam terra non secus ac mari Neptunus exercet, sæpiusque in fluvioruum ripis aut fontibus, juxta lacus, in iisque regionibus apparet quæ motibus soli frequenter exagitantur, solet tamen ab antiquis maxime temporibus pontum habitare. Regia ejus domus quam præ cæteris diligit, ejus ut sic dicam Olympus, in profundis Achaici maris gurgitibus sita est; quam quidem Homerus in decimo tertio Iliadis libro [1] his descripsit versibus : « Sedebat in summo Samothraces cacumine Neptunus pugnam prospiciens; inde enim ipsius oculis adversa erant Idæ montes, Priamique urbs et Achæorum naves. Ibi igitur sedebat Neptunus et Græcos a Trojanis devictos misertus Jovi vehementer indignabatur. Extemplo lapidosum montem citus percurrit, et sub divinis ejus pedibus contremit mons circum atque nemus; tertio gradu Ægas attingit. Ibi, sub maris gurgitibus splendidam habet domum, auro splendentem atque æternam. Vix eam assecutus, fulgentia arma induit, instructo insilit currui, habenasque manu arripiens, in liquida maris planitie indefessos equos propellit. » Ægis igitur, in eoque loco ubi Crathis fluvius ex Arcadiæ Achaiæque vallibus in mare prorumpit, præcipua erat maximaque Neptuni domus. Iisdem quoque temporibus et, ut arbitror, a remotissima antiquitate, Helicen, in Achaiæ littoribus Ægarumque viciniis diligebat; in ea enim urbe multa splendidaque maris deo sacrificia peragebant [2]. Ambæ illæ civitates simul unaque a scriptoribus antiquis fere referuntur, qui tamen nullo modo hujusce dei in Helices terra marive domum fuisse asseverant. Littora maris, etsi in iis non habitet, frequentissime peragrat : amat promontoria excelsa unde pelagus longe prospicere est, portusque et campos sæpius maris fluctibus coopertos. Verum peragrat etiam terras : neque notatu indignum esse arbitrer non in Oceani aquis verum in excelsa Arcadicæ Arnes regione natum esse Neptunum, quæ

1. Il., XIII, 10 et sq. — Odyss., V, 380. — Plin. H. N., IV, 11.
2. Il., VIII, 203.

quidem nulla parte maris attingit littora; ibi aliquamdiu educatus est, posteaque Telchinis in Rhodo insula commissus [1]. Ne quis igitur mirari velit Neptunum sæpe in fluviorum fontibus versari aut in eorum ripis, juxta lacus et in campis aqua fluminum irrigatis : amat etiam quæ supra lacus eminent promontoria, ut sunt Onchesti in Bœotia, Stymphali Phen eique apud Arcadas, quæ non secus habitat atque Sunium in Attica vel in Sicilia Pelorum aut Tænarum in Peloponneso. Specus diligit in fluviorum ripis et juxta fontes, in quos fugientes nymphas consequitur; diligit gurgites ubi aquæ lacuum fluminumve sorbentur; insulas denique et montes terræ motibus concussos. Ita inquietus in universo terrarum orbe sine intermissione Neptunus vagatur; quoties non amoribus indulget, in prœliis agitatur, aut cujuslibet injuriæ quærit ultionem, seu belluas et monstra in lucem proferat, sive totas regiones inundet, sive urbes disturbet, dejiciatque in campos culmina montium.

IV. Degit Neptunus medio in cœtu [2] rerum aut numinum, quorum quædam conjugio ipsi vincta sunt, alia ejus imperio submissa. Alia masculini, alia feminini sunt generis; neque omnia humanam habent, ut Neptunus ipse, formam et speciem, quædam vero fictam atque poetarum sacerdotumque aut etiam plebis ingenio excogitatam, quædam denique nihil sunt aliud quam ipsa maris portenta, pisces atque belluæ.

1. Præcipuum est in Neptunio cœtu numen Amphitrite [3], dei conjux et præ cæteris in pretio habita : « Tuque o qui undis imperas pulchræ dive conjux Amphitrites, ejus reditum tueri velis, inquit Pindarus [4]. » Non tamen erat Neptuni soror, ut Jovis erat soror uxorque Juno; verum ab antiqua

1. Callim. Del., 30. — Paus., VIII.
2. Plin. H. N., XXXVI, 5.
3. Odyss., III, 91. — Eratosth. Cat., 31. — Hygin. Poet. astr., I, 17.
4. Ol., VI.

gente originem ducebat, Oceani, maximi natu inter Titanas, filia [1]. Erga Neptunum Amphitrite locum eumdem occupat quem erga Plutonem Persephone; ut enim hæc cum conjuge mortuis imperat, sic et Amphitrite undis marinisque deis et animantibus cum Neptuno. Andromachæ instar Hectoris conjugis, Neptuni equos curare solet [2] uxor Amphitrite, neque ulla alia dea ante ipsam curru exsolvere ausit, quod quidem amantis est uxoris officium. Quum ejus soror Thetis a patre Achillis Peleo in matrimonium ducta est, ambo pares Neptunus et Amphitrite nuptiis adfuerunt [3]. Undarum ipsi imperium sicuti Neptuno in manu est; scribit enim Homerus [4]

προτὶ δ' αὐτὰς
Κῦμα μέγα ῥοχθεῖ κυανώπιδος Ἀμφιτρίτης.

Nec semper tanto fragore fluctus agitare solet, eam enim *gementem* dicit Homerus [5]; sed pariter hæc verba poetæ usurpare assueverunt, Neptuni fluctus, fluctus Amphitrites [6].

Multis igitur in locis una cum Neptuno ipsius uxor colitur, ubi semper primas post eum sedes obtinet. In occidentali Parthenonis fronte eam effinxit Phidias sedentem prope pugnantem Neptunum; quam agnoscere nobis in promptu est supposito ejus pedibus delphino [7]. Juxta Corinthum in majori Isthmicæ urbis templo, stabat deus curru sublimis nec non in ejus latere uxor Amphitrite vehebatur. Amyclis autem, in Apollinis altari videre erat Neptunum cum uxore sua marmori insculptum. In Alti olympica amborum erant statuæ, Glauci Argivi opus [8]. In æreis Co-

1. Apollod., I, 45.
2. Ibid., IV, 1335, 1371.
3. Apollon. Rhod. Rapt. Hel., 21.
4. Odyss., XII, 58; III, 90.
5. Hym., I, 94.
6. Odyss., III, 91.
7. Eratosth. Catast., 31. — Hygin. poet. astr., I, 17.
8. Paus. El., 26.

rinthi nummis repræsentati sunt Neptunus et Amphitrite in curru sublimes subjunctis Tritonibus. Sola etiam in celeberrimis Syracusarum nummis videtur, delphinis insignita. — Semel quidem, Neptuno ac Jove de Thetidis connubio decertantibus, paulum abfuit quin honores suos amitteret Amphitrite : sed oraculo quodam moniti ambo certamine abstinuerunt, Thetidemque mortali Achillis parenti permisere[1]; ea tamen magnam obtinuit in cœtu Neptuni dignitatem, quæ juxta Amphitriten sæpe repræsentetur, ut in ea de qua jam diximus Parthenonis fronte videre est. Nunquam vero cum ea Neptunus amore junctus est; et præcipuum habuit natum Achillem mortalis Pelei filium dea immortalis Thetis.

2. E Neptuno et Amphitrite ortus est Triton, qui profunda maris cum parentibus habitat, in aurea domo, δεινὸς θεός [2]. Ex iis etiam orta est, si Apollodoro [3] confidamus, filia quædam Rhode quæ postea cum Helio (Sole) nupta est. Tritones vulgo effinguntur cum longis prominentibusque superciliis, densa horrentique barba, incomptis admodum crinibus, protervaque facie. Mire quidem describit veros Tritonas in Bœoticis [4] Pausanias, unumque ex iis sese vidisse Romæ asseverat; habebat enim humanum quidem nasum, latius os et ferinos dentes, glaucos vero oculos, manusque cum digitis in modum squamæ terminatis; sub pectore autem et ventre delphini pinnas, pedes nullos; crines vero plantæ illi similes quam βατράχιον Græci appellant, mixtos inter se admodum; corpus denique squamis contectum levibus atque asperis. » Non immerito aliquis putet monstrum illud fictum esse omnino atque ex multis diversisque partibus apte congruentibus compositum, ut nunc etiam in multis terrarum locis fabricari tales assuevere. Utcumque se habent ista, ii Tritones, quos artes antiquæ effinxerunt,

1. Pind. Isthm., VIII.
2. Hes. Theog., 930.
3. Apollod., I, IV, 5.
4. Paus. Bœot., 22.

multo magis ad hominis similitudinem facti sunt, neque ita a parentum facie abhorrent; maris tamen in quo vivere solent motus incompositos ac protervitatem imitantur. Erant Tritones ænei supra Isthmici Neptuni templum; aliique aurei eburneique ex utroque equorum latere curru dei subjunctorum videbantur.

3. Circum Amphitriten feminini generis numina, tanquam Tritones circum Neptunum, comitatum Nereides componunt. Earum pater Nereus, ut ejus nomen cum hodierno apud Græcos aquæ nomine (νερὸν)[1] collatum indicare videtur, imago quædam est hujusce elementi, ut libenter putem, antiquissima. In Hesiodi enim Theogonia, filius est maximus natu Ponti, cum Terra rerum omnium parente coeuntis. Non dicit Hesiodus quisnam sit Pontus ille, neque nos monet an frater sit Titanis Oceani aut ipse Oceanus. In Orphicis[2] versibus, quos equidem non ita veteres esse existimo, vocatur ille Pontus rerum omnium principium; ipse mundum omnem commovet quoties turbidos fluctus in speluncas præcipitat : sed paulo infra Proteus dicitur deus esse primigenus, qui maris claves manu tenet, materiæque leges variis modis ad arbitrium mutat[3]. In Odyssea cum Proteo societatem habet Amphitrite, quæ nisi opituletur, domari non potest deus ille mutabilis. Quæcumque sit Protei Nereique et Ponti ipsius natura, quod quidem dilucidare minime nobis in proposito est, Amphitrites sociæ brevi factæ sunt in fabulis antiquis Nereides; ipsius currum sicut Neptuni Tritones, sequuntur, numero incertæ : sexaginta quidem apud Homerum; octoginta in Orphicis versibus[4]; quinquaginta apud Hesiodum; centum autem in Platonis Critia, qui quidem numerus vulgo apud veteres creditus esse videtur. Sicut vero Amphitrite tuetur alitque maris belluas[5], ita et Nereides

1. Vide notam ad calcem.
2. Hymn., 22.
3. Hymn., 23.
4. Hymn., 23.
5. Odyss., V, 422.

animalia quædam præ cæteris diligunt; dicit enim Theocritus[1] alcyonas a Nerei cæruleis oculis filiabus plus quam cæteras aves adamari.

Universus Neptuni cœtus in majori ad Isthmum templo effictus fuit. Aditus ad doricas illas ædes erat, pinibus ex utroque latere in ordine dispositis; in templi autem fastigio vel, ut arbitror, *acroteriis*[2] ænei Tritones; in vestibulo (pronao) duo signa Neptunum exhibebant et cum eis erant Amphitrite atque Thalassa; templum vero ineuntibus obvius erat curru sublimis Neptunus cum uxore Amphitrite, quatuor equis auratis trahentibus, solea tantum eburnea; in equorum lateribus Tritones erant superiori corporis parte aurei, inferiori vero eburnei; juxta Neptunum et Amphitriten Palæmon erat puer, stans æneus eburneusque in delphino. In basi autem eminebant insculpta, Thalassa quidem in medio infantem sustinens Venerem, Nereides vero in lateribus, filiique Tyndarei, Dioscuri[3] scilicet navium nautarumque patroni. In templo quoque videre erat Galenen, tranquilli maris deam; equumque in cetum desinentem (hippocampum); Inum, Bellerophontem, Pegasum. Tribuunt enim interdum Neptuno alatos equos, et pars quædam de Bellerophonte et Pegaso fabulæ sive Corinthi, seu in hujus urbis prospectu evenit.

Is est qui vulgo maris deum sequitur cœtus. Quis dubitare potest quin multa inter hæc numina animaliaque ad mare pertineant? Sed, tum apud poetas aliosque scriptores, tum in artis antiquæ monumentis sæpe societatem habet Neptunus cum fluviorum nymphis fontiumque; non alienus etiam est a terrestribus quibusdam numinibus, Cerere scilicet ejusque filiabus, ut postea vitam hujus dei narrantibus nobis apertum erit.

1. Idyll., VII.
2. Guigniaut, Creutz. Fig. 626 *a*.
3. Hygin. Poet. astr., I, 22.

II.

De Neptuni origine et vita.

I. Priusquam Jupiter Neptunusque et Pluto mundi imperium inter se partiti fuissent, jam non una gens aut principum series regnum obtinuerant. Non eadem ubique narrant de antiquis illis mundi temporibus; veterrimus inter eos cujus verbis fidem adhibere possimus Hesiodus est Ascræus, ex Heliconis quadam urbe oriundus; neque ille quidem cum Homero semper convenit, ex Asia videlicet originem ducente. Ea autem quæ ipsi narravere, vulgo credita et a posterioribus aucta scriptoribus, tradita, ut arbitror, sed in diversis Asiæ Europæque aut etiam Africæ regionibus et locis aliquantum mutata, in unum corpus certumque in ordinem multo post ab Apollodoro redacta et disposita sunt. Qui quidem sæpissime placita habuit ab Hesiodo relata, ut plurima de antiquis fabulis narrante et ea quæ in plurimis locis a plebe forsanque in mysteriis docebantur.

1. Secundum igitur Apollodorum Hesiodumque duæ gentes, ante quam trini dii regnum occuparent, obtinuerant imperium, *Uranus* (Cœlus) scilicet cum *Terra* (Gæa), *Kronosque* et *Rhea* conjux.

Secundum autem Apollodori sententiam, Uranus quem Latini Cœlum nominavere, æquam sibi et dignitate parem conjugem duxit Terram; atque ex eorum commercio ortæ sunt omnes deorum gentes, heroumque et hominum, forsitan etiam omnium quæ terra marique vescuntur animalium. Dicit vero Hesiodus, quod notatu minime indignum mihi videtur, non Uranum rerum omnium esse originem neque *patrem* primum habuisse rerum naturam; Terram vero, communem rerum universarum *matrem*, primogeni-

tum habuisse Uranum : qui etsi maximus natu sit, fratres tamen habuit, *Montes* inquam et *Mare* infecundum, quod Terra in profundo sinu concipiens nullo amoris gaudio fruita est[1].

Conveniunt proinde ambo poetæ, ubi narrant quænam Terræ et Urani fuerit progenies : certo autem magis ordine Apollodorus, ut recentioris multo ætatis, deorum series disponit. Ex Urano igitur et Terra antiqua primigeni orti sunt *Centimani* (ἑκατόγχειροι) qui sunt tres numero, *Briareus* scilicet, *Gyas* atque *Cottos*. Post autem primum illum deorum partum in lucem editi sunt *Cyclopes*, qui tres quoque numero fuere, *Arges*, *Steropes Brontes*que. Quorum priores illi Centimani matris præcipue, hi vero posteriores patris Urani naturam videntur atque indolem referre. Utcumque ista se habent, juventuti suæ, viribus et numero confisi una omnes conjurati sunt, et patrem e solio depellere tentaverunt; ab ipso autem in Tartara præcipitati[2].

Tertio partu *Titanas Titanidas*que, tunc primum filias in lucem proferentes, Terra Uranusque genuerunt[3]; nomine fuere *Tethys*, *Rhea*, *Themis*, *Mnemosyne*, *Phœbe*, (*Dione*que) et *Theia;* Titanes vero *Oceanus*, *Cœus*, *Hyperion*, *Crius*, *Iapetus*que et natu minimus *Kronos* quem Saturnum Latini dicere solent. Nova hæc progenies, prioribus illis numerosior simul et mente magis acuta, etsi non par esset viribus, incepta adversus parentem felicius patravit. Cyclopes enim et Centimani vim ac violentiam tantum adhibuerunt, Titanes autem dolum etiam ac fraudem. Natu minimus Kronos, postquam a matre sua Terra, ægre odium ac suspicionem erga liberos conjugis ferente, ad rebellium incitatus est, *harpen* tenens manibus noctu dormientis patris genitalia resectum ivit. Non animam efflavit Uranus, vires autem ac novos gignendi filios potestatem amisit; quæ tamen ea erat

1. Theog., 131.
2. Apollod., I, 2.
3. Ibid., I, 3.

in antiquo illo numine, ut postea ex eo Gigantas Terra genuerit, illa autem genitalia fuso et in terram stillante cruore *Erinnyas* pepererint, ipsaque postquam diu per æquora vecta sunt, e spuma denique ad Cytheram appulsa, genuerint *Aphroditen*.

2. Quæ quum ita evenerint, eversus e solio Uranus, et natus ab ipso *Kronos* secundo regno initium dedit. Duxit in matrimonium sororem *Rheam;* atque ex ambobus illis Titanibus orta sunt sex numina, *Hestia* scilicet, *Demeter* atque *Hera, Zeus, Poseidon* et *Pluto*. Oraculo quidem monitus, (eo enim tempore et jam ab antiquis maxime temporibus oracula fuere) ne a solio depelleretur, natos in vicem Kronos absorbere solitus erat, et jam tres natas Plutonemque hauserat. Rhea mater, sublatos eo modo liberos plorans et in perpetuam orbitatem a conjuge redacta, eumdem erga Saturnum locum tenebat quem olim erga Uranum tenuerat Terra. Quum ea lex sit in universa rerum natura, ut quæcumque vita fruuntur futura præteritis anteponant et sibimet quoquo modo immortalitatem vindicare conentur, Rhea, Terram matrem imitata, conjugem natis posthabuit, eumque perdere decrevit, modo servaret liberos. Uranum igitur Terramque adiit et ab iis quanam ratione natos voranti Krono eriperet percontata est[1]. Omnes homines novere quibus auxiliis[2] Jovem servaverit; videre erat in præclaro Junonis apud Platæenses templo opus quoddam eximium Praxitelis, Rheam scilicet Saturno[3] petram involutam pannis offerentem[4]; quæ quidem petra, postquam Kronos evomuisset, a sacerdotibus inventa, rite in sacris Delphorum mœnibus servata est; juxta enim Cassotim fontem in hac urbe cernebatur,

1. Theog., 453.

2. O. Müll. Arch., Tab. 31, 192 *bis*.

3. Paus. Bœot., 2.

4. Quod quidem non in Platæensi agro, sed non procul ab urbe Methydrio in Arcadia evenit, in monte Thaumasio, ubi specus erat quidam Rheæ cultu antiquo consecratus. Paus. Arcad., 35.

quotidie oleo a permultis hominibus irrigata[1]. Neptunus autem, si peculiaribus Peloponnesi confidamus fabulis, in Arcadia patri ereptus est. Quum enim eum in lucem edidisset Rhea, in ovile quodam juxta fontem Arnen collocavit ut medio in agnorum grege aliquandiu educeretur et cresceret; qui quidem fons eo nomine designatus est, quia circum pasci assueverant agni; Rhea autem a Krono interrogata sese pullum equinum edidisse respondit, quem obtulit comedendum[2]. In illa quoque Arcadiæ parte peperit Cererem Rhea; quæ quum diu Kronon fugiens errasset, nomen e verbo ἀλάομαι inventum monti Alesio, non procul a Mantinea sito, impositum est.

3. Postquam vero adolevere Jupiter atque Neptunus, natura ipsa compulsi sunt ad bellum patri inferendum, in ipsorum partibus dimicante matre Rhea; pugnas ergo meditati sunt et regem suum, mox sese ab ipsis, ut arbitror, qualibet ratione expediturum, priores aggressi sunt. Tunc a Rhodiis[3] Telchinis fabricatum tridentem Neptunus accepit quem semper terra marique præcipuum habuit insigne. In Kroni partibus stabant plerique Titanes qui quondam ipsum, patri Urano bellum inferentes, ad solium evexerant; novi autem dii Jupiter atque Neptunus arctam inter se societatem junxere et mox a fratre Plutone, quem non secus ac tres filias Kronos evomuerat, adjuti sunt. Titanes quidem, audaciæ superbiæque confisi, prudentiamque contemnentes, potestatem suam vi atque viribus sese defensuros dictitabant. Incassum filius eorum Prometheus quid esset melius et quidnam Themidis matris nuntiarent oracula ipsis retegebat: ipse etiam ab iis neglectus ad nova numina transiit, et brevi, Prometheo adjuvante, Kronon ejusque socios obscura Tartara condiderunt[4].

1. Paus., x, 35.
2. Id. Arcad., 8.
3. Diod., v, 55. — Callim. Del., 30.
4. Æsch. Prom., 227.

Itaque regnum obtinuerunt terni illi dii, Urani Terræque antiquæ nova progenies. Universi mundi imperium in tres partes divisum est, Neptunum inter, Jovemque et Plutonem. Sortis legibus obnoxii, cœlum habuit Jupiter nubesque et aera, inferos Pluto, Neptunus mare immensum; terra autem et Olympus indivisa et nullius imperio addicta[1]. Solio dejectus Kronos diras imprecatus filiis est; nuntiavit enim natum quemdam Jovis eos invicem e regno quondam depulsurum; qui ardenti Jovis fulmini irridens, tridentem etiam quo terra mariaque miscentur in ipsa Neptuni manu fracturus esset.

II. Non triplicem hanc deorum historiam narrare nobis in proposito est, sed vitam tantum et actus Neptuni, unde aliquid de ejus natura et significatione, tum in arte antiqua tum in religionibus, philosophorum more colligere possimus.

1. Nova igitur erat rerum facies : quanquam firmiter in solio constituti, eoque majori potestate fruentes quod divisum erat imperium, non omnino tamen inter se novi dii æquales esse poterant; inde enim, divisa in tres partes æquabiliter universa rerum natura, diisque et hominibus et quæcumque vita funguntur aut carent, bellum erat ubique, et, rebus æquo marte depugnantibus nihil erat quod salvum e pugna posset evadere. Itaque, vi quadam et virtute rebus insita, Jovi aeris numini Neptunus ut maris et aquarum numen fuit obnoxius; dum enim in superis mundi partibus imperitaret Jupiter, imas solummodo aut demum medias partes Neptunus obtinebat; infimus autem subterraneam invisamque regionem habebat Pluto sub ditione. In communi igitur deorum domo, scilicet in Olympico cœtu, sedes primas jure obtinet Jupiter, secundas vero Neptunus. Quod quidem antiquis artis monumentis palam demonstratur, in quibus dii in

1. Iliad., XV, 187.

ordine dispositi apparent. Nobis exemplo sit Parthenonis zoophorum in quo videbatur Jupiter in prima sede collocatus; anaglyptum quoddam in Albana villa Romæ asservatum, in quo exsculptus est Jupiter solio insidens, supra terrarum orbem vectus; super ipsius caput Solis ac Lunæ currus procedentes; infra autem deus maris ejusque uxor juxta undas incubantes [1]; circum autem duodecim zodiaci signa expressa sunt. Medias igitur partes cœlum inter et terram tenet Jupiter; sideribus quidem soleque et luna inferior, ponto autem circum terras superfuso multo superior; habitat denique aeris campos unde orbem suum gubernat. Non Neptunum juvabat quod tali modo Jovi esset obnoxius, ob eamque causam non semel adversus deorum hominumque patrem luctatus est. Si tamen iis quæ ab Homero nobis tradita sunt confidamus, melius et æquo magis jure summam Jovi potestatem, natu scilicet majori, reliquisset; quæ quidem Apollodori etiam et Pausaniæ opinio est. Hesiodus autem, qui Cœlum e Terra genitum esse contendit, ut rerum omnium matre, Neptunum ante Jovem natum esse affirmat; quæ si vera essent, quid erat causæ cur, matri antiquæ similior quam Jupiter, non universo mundo Neptunus imperitasset? Hesiodi tamen opinionem minime in diversis Græciæ partibus neque longa per tempora acceptam fuisse crediderim, quamvis tanto poetæ placuerit. Homerus enim non in uno tantum Iliadis Odysseæque loco Jovem primogenitum esse affirmat; addit etiam hunc omnibus una diis viribus præstare [2], quod, non poeta, sed Neptunus ipse dicit Junonem allocutus; dicit alibi : « quod ad originem spectat, eodem loco oriebantur Neptunus atque Jupiter, quippe qui ambo Kroni essent Rheæque filii; sed natu major Jupiter sapiens quoque magis erat et rerum prudentior [3]. » Ideo Neptunus hominis formam induebat, quum Achæos incitaret ad pugnam; timebat enim

1. O. Mull. Arch., Tab. 32, 80.
2. Il., VIII, 27.
3. Ibid., XIII, 354.

ne ipsum frater animadverteret. Novum denique illud regnum Jovis nomine designatum est, qui ab Æschylo tertius cœli tyrannus usurpatur[1].

2. Illo quasi triumviratu mundi respublica regebatur. Quamvis eorum potestas firmiter constituta foret et ab omnibus, ut videbatur, accepta, non securum tamen agebant ævum Jupiter atque Neptunus. Eæ enim gentes, quæ ab antiquo mundi imperio dejectæ fuerant, progeniem habebant multam atque alienæ potestatis impatientem. Et quanquam multo uxoribus suis præstantes viribus ac prudentia nihil tale novi illi dii verebantur quale Urano Kronoque acciderat; non eadem ratio erat de ista antiquorum regum sobole : minime igitur mirum est ancipitem aliquandiu fuisse victoriam. Non mihi narrare in animo est Typhonis bellum, Terræ atque Tartari filii, qui unus solusque adversus deos omnes exsurgere ausus est; neque Promethei, ex Titane Iapeto et Titanide Themide geniti, qui sic a Cœlo Terraque ducebat originem, Jovi par atque Neptuno et Plutoni eodemque loco ortus. Privata enim Jovis ea bella sunt, in quibus Neptunus pæne non interfuit. Sed maris deus fortiter dimicavit in insigni Gigantum rebellione, tardorum, ut sic dicam, Terræ Uranique natorum. In magnis enim istis prœliis de ipso mundi imperio agebatur; et fratres ex utraque parte in bellum coalescebant. Fulmen contorquebat aeris nubiumque deus; Neptunus autem, tridente instructus per maria Polyboten prosequebatur[2]; confugit in Coum insulam ille gigas; sed formidine excæcatus non animadvertit huncce locum præcipue in terrarum orbe Neptuno esse subditum, non ea tantum causa, quod insulas omnes a terra continenti abreptas in mare olim constituisset[3], sed etiam quod ea inter omnes insula sæpius Neptuno jubente commoveretur. Assecutus gigantem, totam tridente insulam percutit, partem avellit nomine Nisyram,

1. Prom. Choeph.
2. Apollod., I, 6.
3. Callim. Del., 30.

et hanc adversus hostem projiciens Polyboten opprimit. Insignis erat ille ac præcipuus Neptuni actus in hoc Gigantum bello, ideoque sæpius tum a poetis narratus, tum expressus pictura cæterisque artibus. Athenis, exempli gratia, templum erat Cereri sacrum, juxtaque Neptunus equo vectus, hastam adversus Polyboten contorquens, opus Praxitelis[1].

3. Post Gigantum bellum novi dii imperio tandem potiti sunt, quod in disceptationem venire jam non poterat. Antiqua tamen illa numina nescio quid miræ dignitatis servavere. Interdum enim in Olympum ex improviso redeuntes apparent, unde jam diu ejecti fuerunt; et ipsa præsentia novis numinibus formidinem incutiunt. « Die quadam[2] magni in Olympo dii conjurationem adversus Jovis regnum habuerunt, cui pæerat Neptunus, aquarum numen, cum duabus feminis Junone scilicet atque Athena. Certum erat deorum patrem illigare, ita ut fulmen emittere non jam posset. Thetis autem, filia Titanis Oceani quæ pactum noverat, cito filium quemdam Terræ et Urani adiit, Briarea scilicet, quem homines Ægeonem[3] vocare solent. Ille Centimanus, deorum patre viribus præstantior, juxta Jovem ipsum in Olympo sedit, feroci adeo et terribili habitu, ut attoniti conjuratores ab incepto abstinuerint. » Quæ quidem minime mira est novis diis a veteribus injecta formido. Ut enim Græci arbitrabantur, antiquis illis numinibus vis quædam inerat magna et incredibilis, quæ si pugnanti cuiquam accederet, in vanum cedebat vel absoluta calliditas : itaque vocabantur non Hesiodi tantum sed et Æschyli temporibus πελώρια, ut si quis monstrum ac portentum diceret; et eo nomine, quod mirum Græcorum auribus sonabat, formidolosa quædam potestas designabatur, vis incomposita ac sui impotens, corporis etiam singularis moles ac præstantia. Neque illud verbum aperte

1. Paus. Att., 2.
2. Il., I, 400.
3. Vide notam ad calcem.

magis explicari posse putem quam illo, de quo jam antea dictum est anaglypto[1] in quo videre est Terram, antiquam matrem, Bacchum infantem duobus nymphis præsente Jove aut Neptuno committentem; quæ quidem dea multo cæteris præstat non corporis tantum magnitudine sed terribili quodam vultu habituque, e terra superiori parte corporis emergens.

Antiquo igitur numine interposito, Jovis ac Neptuni dirempta controversia est; non placati tamen dei aquarum animi, fratris vires ac potestatem mimine ignorantis. Itaque, apud veteres poetas, maximeque in Iliade eum videre est pro Achæis adversus Trojanos Idæo Jovi amicos deprœliantem; atque, ubi ex utraque parte fere omnes viri ceciderunt et ipsi inter se dii componuntur, non cessat Neptunus in pugnam prorumpens : ambo illa numina, ipse scilicet ac Jupiter, totum terrarum orbem ac rerum naturam miscent : « Pater hominum deorumque e cœlo fulmen contorquet; Neptunus terram concutit ac montium culmina; tremit Ida imis a radicibus, urbsque Trojanorum et Achæorum naves. Qui Manibus imperat Pluto attonitus e solio desilit, clamatque et reformidat ne, terra dehiscente, hominum deorumque oculis, Neptuni ictibus aperta, ea regio appareat terribilis et fetida, ipsis invisa numinibus[2]. » Postquam autem dii pugnare desierunt, recedit comitantibus Junone atque Pallade, in Herculis Propugnaculum unde virorum prœlia usque ad noctem possit observare.

4. Eadem illa de quibus loquimur numina, quanquam interdum cum Neptuno adversus Jovem consociantur, aliquando tamen ipsi adversa fiunt. Neque illi sedes suas auferre contendunt; quamvis enim Jovi Neptunus sit obnoxius, adeo Junoni ipsi patris deorum hominumque uxori viribus præstat, ut nulla sit in Olympo dea quæ cum eo

1. Mus. Louv., n° 259.
2. Il., xx, 56.

audeat componi. Quum tamen de universo maris et aquarum imperio cum Neptuno minime contendant, regiones terræ in medio positas ipsi tentant eripere : sub communi enim deorum omnium ditione terra est, cujus partes quasdam in Neptuni potestatem venire æquo animo ferre Pallas Junoque, aeris incolæ, non poterant. Tribus exemplis utamur, controversia scilicet Neptuni cum Pallade Athenis, Argi cum Junone, cum Helio (Sole) Corinthi. Athenarum quidem acropolis rupes quædam est ex omni parte præcisa media in campi planitie non multum supra maris æquor excelsi ; quam si quis occuparet, regionem totam obtinebat, ita ut in Atticam invadentibus non parvi esset pretii si talem arcem tenerent militibus. Ipso quidem facto patentes circum Athenas campi Neptuni esse videbantur, plani scilicet ac pæne palustres et sæpius marinis fluctibus cooperti : quod etiam nunc Phalerea inter atque Athenas videre est et in ea præcipue regione quæ in Piræei patet viciniis, Halipedi nomine designata. Ipsa autem re Cephissi ripas obtinebat Pallas et superiorem campi declivitatem, crescentibus ubique in iis partibus oleis. Composita sunt igitur et in pugnam venere ambo numina : in arcem prorupit Neptunus, quam tridente percutiens triplici cuspide perfodit, apparente atque sub saxis mugiente ipso mari. Extemplo autem oleam in rupe eadem plantat Minerva, juxta mare Neptunium; victus aquarum deus recessit. Obtinuit demissas campi partes, arcem vero Jovis nata unde totam hanc Atticæ regionem protegeret. Commune templum in eo ipso loco, Erechtheum postea appellatum, Athenienses erexerunt; in cujus vestibulo nuper a Gallo quodam architecto tria Neptunii tridentis foramina inventa sunt. Præterea Coloni magna veneratione cultas ædes Neptunus habuit [1], sicut Parthenonem Pallas, in cujus fronte ad occidentem spectante pugnam exsculpsit Phidias.

Trœzenis idem illud Neptunum inter et Palladem accidit

1. Paus., I, 30; Soph. Œd. Col.

dissidium, cujus idem quoque, ut postea dicemus, exitus fuit.

5. Neptuni Heliique circa Corinthum rixa ipsa quoque notatu prorsus digna est. Arx enim hujus urbis, tanquam Athenarum acropolis, rupes est valde excelsa [1], saxis undique abruptis, supraque in planitiem et tanquam in urbis aream extensa : spectat ad ambo simul maria, et simul ad utramque Græcæ telluris partem, Helladem scilicet ac Peloponnesum. Infra autem, occidentem versus, campus quidam, in tres gradus tanquam divisus, ad Lechæum mare descendit, atque versus orientem ad Cenchræos fluctus declivi solo extenditur. Illud Neptuni causam defendebat, quod in Corinthi vicinio non duo illa tantum maria invenire est, sed alia quædam insignia et ad hujus dei imperium pertinentia, de quibus postea loquemur. Quomodo tamen excelsam adeo arcem et in altis aeris surgentem regionibus obtinere poterat deus ille in maris littore aut juxta fluviorum fontes ac ripas versatus, cujus præcipua domus in profundo maris condita erat? Æquo magis jure ad Solem pertinebat Acrocorinthus, quam lustrabat tota die radiis ex quo mane supra Acarnaniæ montes exsurgebat, donec Cleonarum atque Argolidis montibus conderetur. Antiquum idem illud numen, quod jam attonitis in Olympo novis numinibus antea apparuerat, Briareus arbiter in hac disceptatione factus est; arcem Soli, Isthmum Neptuno addixit [2]. Sed, victus Athenis ubi secundas tantum post Pallada partes obtinebat, præcipuum in Isthmo numen fuit Neptunus.

6. Tertia Neptuni singularis aliud adversus numen pugna in Argiva regione facta est. Deus ille aquarum, qui Corinthi terris pæne abstinuerat, ea forsan causa quod proclive ejus solum exundantibus maris fluctibus parum esset obnoxium, male minimeque indulgenter Argivos habuit, Ju-

1. Acrocorinthi supra Sinum altitudo : 575^{m}.
2. Paus. Cor., 1.

noni, aeris dei conjugi, posthabitus. Quum sub ejus ditione essent non mare tantum sed dulces etiam aquæ terræque motus, omni modo potestate sua usus est, simulque maris fluctus in campos profudit fluviosque et fontes desiccavit[1]; et jam siti tota illa Argolica regio consumebatur, nisi dei animos placavisset Danai filia Amymone. Quum enim Danai filii in Argolidem venere, nusquam reperiebant aquam, exhaustis ira Neptuni fontibus : « fontem quærens Amymone sagittam in fugientem cervum conjecit quæ dormientem læsit Satyrum; hic autem expergefactus virginem insequitur, eique vim inferre tentabat, quum e mari prorumpens ipsum in fugam vertit Neptunus. Amymonen amavit deus eique Lernæ fontes patefecit[2], » qui Danaidis nomine designati sunt. Postquam undas retraxisset Neptunus, regionis incolæ, etsi Junonem præcipuum numen haberent, templum Ποσειδῶνι προςκλυστίῳ erexerunt in eo quidem loco ubi steterant maris fluctus; urbs autem Argos fontem exinde habuit nullum, neque ullum prius invenias quam dimidium Argos inter Lernamque iter peregeris, fluvioque occurreris Erasino. Ne tamen deus infestus ipsis nimium haberetur, contendebant Argivi sub terra fluere Cephissum et in eo ipso loco ubi stabant dei ædes facillime audiri. Utcumque se habent ista, sicca ex eo tempore regio omnis atque arida circum Larissam permansit; neque siccitatem paulatim augere atque extendere deus etiam nunc desiit; scripsit enim Aristoteles[3] : « terræ quædam siccitate meliores fiunt, aliæ autem pejores; quod quidem in Græcia circa Mycenas Argosque evenit; Trojanis enim temporibus Argiva regio non multos alebat homines utpote quæ esset palustris, ditissimæ vero erant Mycenæ; hodie autem, rebus in contrarium versis, siccæ sterilesque hæ factæ sunt, illud, sterile quondam ac paludosum, siccum nunc fecundumque est. » Addamus etiam

1. Paus. Cor., 20.
2. Apollod., II, I, 4. — Apollon., I, 134.
3. Meteor., I, 14.

nos ab Aristotelis temporibus procul maris aquas Neptunum retraxisse, toto regionis hujus solo ita sublevato, ut ipsum Argos sterile paulatim fiat, excultis quotidie magis circa maris littora partibus.

Sic pugnantibus divis mortales plectebantur. Ideoque inter omnes formidabant Neptunum, sæpe cum cæteris immortalibus disceptantem, neque recusantem unquam prœlium. Semel tantum, ut ita dicam, libenter regionem quamdam reliquit succedente alio numine : sed quidnam æquum magis erat aut consentaneum quam si Parnassi rupes sole quotidie exustas Apollini concederet, Calauriam reddenti? Non enim tantum insula est Calauria, sed rupes etiam terræ motibus frequenter concussa peninsulæque ignivomæ quondam Methanæ vicina, eo tempore quo primum dii inter se Græciam partiti sunt nondum exsistentis. Ignotus, ut arbitror, in Delphica valle permansisset, parvæ Castaliæ, Cassotisque et Stygis, minimorum fontium, numen; Calauriæ autem magnos honores obtinuit, in maritimo parumque stabili solo commoratus.

III.

Quisnam esset in diversis Peloponnesi locis Neptuni cultus.

Quæcumque in Peloponneso insignia loca sunt templis, vel traditionibus, aut cujuslibet generis monumentis ad Neptuni cultum spectantibus recognoscere animo mihi est, littora primum peninsulæ, secundo autem partes in medio terrarum inclusas peragranti.

I. 1. Priusquam Athenis exeamus, jam in hac urbe celebrem illum Neptuni cultum invenimus, diversamque ejus naturam ac formas multiplices : in famosa enim illa cum

Pallade disceptatione, videre est deum præcipue aquarum præsertimque maris, ut ex illo mari apparet quod tridente in Acropoli protulit. Sed a Piræeo venienti, urbemque ingredienti obvium erat Cereris templum in cujus vicinio æreus Neptunus erat equo vectus atque hastam Polyboten adversus gigantem vibrans [1]. Convenerant etiam Neptuni ac Cereris religiones circa fontem Enneacrunon, ubi videre erat duas ædes, quarum altera Cereri filiæque, altera autem Triptolemo sacra erat; quem quidem heroa Argivi e terra sua esse oriundum contendebant, optime autem noverant Athenienses filium esse Celei primumque frumentum seruisse; at Musæus ipsum dicit filium esse Oceani et Terræ, Chœrilus Rhari et filiæ cujusdam Amphictyonis; frater ejus Cercyon filius erat Neptuni paterque Alopes ab avo Neptuno amatæ matrisque Hippothoontis cujus nomine tribus quædam in Attica designata est [2]. Quod si ultimum hoc nomen nihil aliud est nisi fabula qua cultum Neptuni Hippii apud Athenienses indicaretur, illud cum Neptuno illo Hippio apud Colonenses conferemus de quo in Sophoclis versibus agitur [3]. Ut ut hæc sunt, jam Athenis Neptunum reperire est *maris* et *equi* numen, neque a *Cerere*, fecunditatis scilicet numine, alienum.

2. In Peloponnesum euntibus nobis, antequam Cephissum fluvium transeamus, locus occurrit fertilis, arboribus abundans, ubi vere herbas equi pascuntur quæ sub aquis fluminis exundantibus uberrime crescere solent : ibi templum est Cereris ejusque filiæ, in quo Pallas etiam et Neptunus coluntur. In eo enim loco Phytalos, cujus nomen cum Neptumo φυταλμίῳ conferre non repugnat, Cererem quondam hospitio excepit quæ ipsi pretium dedit ficum [4]. Sine dubio nulli nisi Neptuno tribui possunt copiosæ in eo loco Cephissi aquæ, qui nisi cum numine plantarum Cerere

1. Paus. Att., 2.
2. Paus. Att., 14, 5.
3. OEd. Col. init. — Paus. Att., 30. — Herodot., VIII, 55.
4. Paus. Att., 37.

et Pallade cujus in ditione olea est consentiret, minime in illa fluvii parte inveniremus herbam qua equi aluntur, neque ficos neque oleas, crescentibus sub arborum umbra vite simul et frumento. — Postquam autem mysticas nomine angustias Corydallon inter atque Icaron montes transiimus, et in maris Eleusini littore perventum est, lacus duos Rhitos nomine invenire est, salsos quidem, undis ex copiosis fontibus profusis. Ibi tumulus fuit Thracis Eumolpi, eleusini herois, quem ex Chione natum Neptunus genuerat, venti Boreæ Orithyiæque filia. Quæ quidem fabula ab iis quas modo retulimus aliena videtur, et ex orbis partibus aquiloni subjectis oriunda; quam ob causam πατέρα Neptunum vocabant Eleusinii [1]. Qualiscumque tamen sit hujusce fabulæ origo, indicat saltem in his locis deum esse lacuum salsorumque fontium; ad quemnam enim deum spectarent illi Rhiti, si Neptuno negarentur, utpote qui, secundum veterum opinionem, ex Euboico mare, Euripo scilicet, orirentur?

3. Atheniensis de Alope Neptunoque fabula circa Eleusim, in via ad Megara ducente, finem habet : postquam enim puteum Callichori nomine transierunt, obvius est maris quidam angulus ubi tumulus erat Alopes virginis; quam, ubi Hippothoontem peperisset, violentus pater Cercyon, stupro Neptuni iratus, in eo loco occidit. Alius Neptuni filius, Theseus puellæ necem ultus est.

4. Trans Eleusinios Thriæ etiam nomine designatos campos, Megarorum patet planities, excelsis arduisque littoribus interpositis. Sunt quoque in regione illa fabulæ ad Neptuni cultum spectantes, in Megaris scilicet atque in eorum portu Nisæa. Neptuni enim filius erat Megareus, qui ab Onchesto ad Nisum regem, Minoi bellum inferente, venerat opitulaturus; defunctus autem in urbe est, quæ ejus nomine appellata : hanc fabulam narrare solent Bœoti, minime Megarensibus acceptam : qui, Cithærone tantum monte a Bœotis sejuncti, timebant ne ob magnam Onchestii

1. Paus. Att., 38. — Lobeck. Aglaoph., p. 771.

Neptuni famam Bœotiæ annumerarentur. Minyeam igitur de Neptuno *Hippio* traditionem tanquam a Bœotis allatam repudiabant, et se a Neptuno πελαγίῳ oriundos contendebant : Lelex enim cujus tumulum in antiquissima urbe Nisæa monstrare soliti erant, Neptuni, ut arbitrabantur, filius erat Libyæque Epaphi filiæ, et ab Ægypto primum in Megarida venerat cui primus imperitavit[1].

5. Totum illud littus quod a Megaris ad Cenchreas usque extenditur, pars scilicet interior maximeque recessa Saronici sinus, pulchritudine ac venustate locorum adeo eximia, Inus ac Melicertæ fabula plena est. Ex una enim Scironidas inter rupes quæ littus a Megaris *Kineta* usque obtinet, ex rupe inquam Moluride cum juniori filio *Melicerta* in mare *Ino* præceps desiluit, postquam majorem natu Learchum pater Athamas occidisset. Quos misertus est Neptunus : pueri enim corpus exanimum ad isthmum Corinthi a delphino quodam allatum est, ubi sub *Palæmonis* nomine summos honores obtinuit, ejus cultu cum Neptuni semper conjuncto; ipsius autem mater *Leucothea* appellata est, et quasi numen faustum a navigantibus per procellas invocata :

> Votaque servati solvent in littore nautæ
> Glauco et Panopeæ et Inoo Melicertæ[2].

Obscuram parvique momenti fabulam prætereo quæ in Krommyone de Kromo Neptuni filio narrabatur, quam minime mirer recenter fuisse inventam, derivato hujus loci nomine a verbo quodam græco κρόμμυον, quod nihil aliud nisi cæpe significat. Et ad sacram hanc pinum (πίτυς) pervenio cujus sub umbra altare erat Melicertæ; narrabant enim accolæ eo allatum a delphino ejus cadaver, quod Sisyphus in Isthmum tulit, institutis Isthmicis in ejus honorem ludis[3]. Jam igitur in duobus locis, ex quo Megara reliquimus, Inus ac Meli-

1. Paus. Att., 44.
2. Virg. Georg., I, 437.
3. Paus. Cor., 1. — Dion. Chrys. Cor., t. II, p. 107.

certæ cultum invenimus : ultra progredientibus nobis occurret cum Neptuni cultu arcte conjunctus. In *peribolo* enim Neptuni ad Isthmum templi templum est Palæmonis, cum Palæmonis etiam ac Leucotheæ statuis ; nec procul a templo locus est sub terra quem adytum vocant, nemini data in eum intrare copia, ubi sepultus Palæmon est. Numen illud maris, arcanæ adeo singularisque naturæ, in magno etiam Neptuni templo effictum cernebatur, juxta deum curru vectum, stans pede in delphino quodam imposito, aureum, ut jam antea diximus, eburneumque Herodis Attici temporum opus. Isthmum pertransiit Palæmonis ac Leucotheæ cultus : ad Lechæum enim descendenti obviam erant statuæ tres, non procul a Pirene fonte Corinthum inter ac sinum, Neptuni scilicet Palæmonisque in delphino atque Leucotheæ. Ex altera autem Isthmi parte, sinum versus Saronicum usque ad Cenchreas processit ille cultus ; non ultra tamen, abruptis juxta mare littoribus saxisque fere inaccessis Epidaurum usque atque etiam Trœzena supra fluctus extensis. In intima igitur sinus parte et in Isthmo fabula hæc agitur, in qua nihil peculiare animadverto nisi Neptuni θαλασσίου cultum, naturæ loci ac dispositioni optime accommodatum, utpote littus est valde angustum mare inter « infecundum » altosque montes Geranios. Miror tantum nullam esse in Sidunte traditionem spectantem ad Neptuni cultum ; est enim videre in hac littoris parte mirum quemdam sulfuris nitrique fontem huic uni deo assignandum ; verum animum ad Neptuni Isthmici cultum omnes verterunt, ludis et universæ Græciæ insularumque concursu celebratum.

6. Nec miror equidem pinum, πίτυν (non abietem, ἐλάτην, quæ in summis montium partibus maximeque in Taygeto, atque Arcadia Peloponnesi crescere solet), Neptuno Isthmico sacram fuisse. Ea enim arbos in omni hac regione frequentissima est, ita ut agrestes incultique loci, præcipueque Isthmi urbis vicinia, pinu quasi condita sint. Itaque ea tempestate qua cadunt ex illa arbore veterrima folia, ea venti

torrentesque fluvii in mare deferunt, fluctibus eadem ad littus rejectantibus. Arcte igitur connexa sunt Neptuni πελαγίου cultus pinusque, in illa Græciæ regione; ideoque videre erat in majoris ad Isthmum templi aditu pinus duplici ordine dispositas et recte, ut ait Pausanias[1], rigideque, quod minime in hac orbis terrarum parte notatu indignum est, crescentes. Non absurdum etiam est sacram ideo Neptuno pinum fuisse, quod esset ædificandis navibus materies[2]; in hoc tamen usu præcipue sunt abietes, ut egomet sæpissime in Græciæ littoribus animadverti, quæ quidem resinosæ maxime rigidæque sunt et in majorem crescunt altitudinem. Utcumque ista sese habent, Isthmus sane locus erat in universa Græcia forsanque in omni maris interioris tractu optime ac felicissime Neptuni θαλασσίου cultui accommodatus: neque eventus fefellit. Æoliæ enim pariter et Ioniæ gentes, ex quibus cultus ille ducere videbatur originem, ad celebrandos ludos convenire solebant; qui quidem a Sisypho, ut quidam contendunt, a Theseo autem, si aliis confidamus, instituti, a Corinthiis ut a principibus regebantur; neque in ullius gentis præter eos potestate erat Isthmicos ludos celebrare : semel enim Argivos celebrantes deprehendit Agesilaus, fudit fugavitque et iis qui Corintho expulsi fuerant dedit celebrandos[3] — Ut ex præsenti ruinarum statu judicare est, Isthmici Neptuni templum magnum est et ditissimum : humi enim fusa atque coacervata fragmenta sunt tum ionici, tum dorici ordinis, ad easdem ædes pertinentia : unde lubens colligam haud multum ab Atheniensi Palladis Parthenone[4], quoad formas et magnitudinem, Neptuni templum abhorrere, ionici generis partibus ædes interiores ornantibus. Dorici quoque ordinis erat Palæmonis templum, parvum maxime columnis non ex pluribus partibus compactis[5]. Jam antea de

1. Paus. Cor., 1.
2. Strab., VIII, 380.
3. Xenoph. Hellen., IV, 5.
4. *Cella* Parthenonis ordinis erat dorici; *opisthodomus* autem ionici.
5. Guigniaut, Kreutzer, fig. 626 a.

illis signis dictum est quæ in Isthmici dei templo videre erat; neque mihi in proposito est de celebrandis ludis multa disserere, locos tantum et traditiones peragranti, quærentique hujus dei in unaquaque regione creditam naturam : nullum autem dubium est quin tanquam maris numen ad Isthmum Neptunus præcipue coleretur; quod quidem valde veterum mentes occupasse videtur, utpote qui non Sidunta solum de qua jam diximus, sed Cenchreas etiam, ubi calidus fons in mare profluebat, omnino neglexerint, et Thermas quoque (Loutraki) tepidis sub Œnio monte et in ipso maris littore aquis admodum insignes; sed in Lechæo portu templum erat æreaque statua Neptuni [1]. Attamen tanquam fontium numen Corinthi Neptunus colebatur; in urbe enim templum habebat signumque æreum quo pedibus delphino aquam eructanti impositis repræsentatus erat. Imo fontium illud numen filiam Acheloi Pirenen amavit, quæ arcanus quidam fons est in summa Acrocorintho frigidissimus, et, ut falso credidere, rursus sub urbe versus occidentem decurrens : ex ejus cum Neptuno amoribus nati sunt Lecheos atque Cenchrias.

7. Trœzeniorum autem cum Atheniensis Neptuni cultu religio admodum consentit. Aiebant incolæ [2] primum regioni imperasse Orum, qui suo nomine Oraiam donaverat : nomen autem ab Althepo, filiæ ejus Leidis Neptunique nato, in Althepiam mutatum est. Non mihi in animo est disquirere quidnam hæc verba græca significent et proinde Neptuno incerta tribuere [3]. Sed mihi notatu dignum videtur eamdem hic quæ Athenis Pallada inter Neptunumque evenisse disceptationem, quæ ipsa quoque compositione Jovisque jussu terminata est; ideo *regem* Trœzenii Neptunum vocant. In quo quidem prœlio quid aliud videre est quam oleæ arciumque deam numenque maris? — Sed alio etiam nomine, φυταλμίου [4] scilicet, tan-

1. Paus. Cor., 2.
2. Id. Cor., 30.
3. Preller (Real Encycl. art. Nept.).
4. Paus. Cor., 33.

quam ubertatis numen Trœzene colitur Neptunus, quod quidem jam antea nondum trajecto Atheniensi Cephisso nobis occurrit. Hic quoque extra urbis mœnia φυταλμίου templum est : memorant enim incolæ iratum quondam deum omnem regionem infecundam diu reddidisse, marinis aquis ad radices usque plantarum ac semina insinuantibus; quem tandem precibus et sacrificiis ita permulsere ut maris undas retraxerit. Supra autem Neptuni templum (in ea enim regione declive prorsus solum est) ædes erant Cereris Thesmophori, quas ab Althepo ædificatas fuisse narrabant. Sine ullo dubio hic est ubertatis ac terræ fertilitatis deus : qui non hanc sane dono quodam tuetur, et ei potius videtur pepercisse ; sed quum habeat cum Cerere societatem; si quis etiam attendere velit et omnem Trœzeniam regionem considerare permultis fontibus in declivi solo desilientibus irrigatam, minime mirabitur cultum hunc aquarum numinis cum Cereris cultu in hoc loco fuisse conjunctum, Neptunoque Φυταλμίου nomen inditum.

8. Addam quoque Neptuni in Calauria insula cultum, quæ Trœzenis in conspectu est et littori tanquam apposita. Ibi de Neptuni Æthræque[1] commercio memoriam tradebant : quæ, ex somnio quodam a Minerva misso, in Sphæriam hanc insulam ivit ut libamenta in Sphærii tumulo funderet; ibi Neptuno occurrit a quo violata est; templum igitur Palladi Apaturiæ erexit. Insula tamen ex antiquissimis temporibus ad Apollinem pertinebat qui eam Neptuno Delphos reddenti concessit[2]. — Quæ quidem fabulæ Æthræque nomen (αἴθω, urere) cum Neptuno maris numine simul ac terras commovente insulasque informante[3] consociatæ, novam in deo naturam indicare mihi videntur, quasi ea quæ nunc subterraneum ignem causam habere novimus deus ille aquarum solus efficeret. Namque universa hæc regio ignibus illis producta

1. Strab.. VIII, 25, 7. — Gerhard, tab. XII.
2. Paus. Cor., 33.
3. Callim. Del., 30.

atque sursum evecta est, quos sub terris ab oriente in occidentem existere nostris demum temporibus animadversum est, a Rhodo insula usque in Acarnaniam Ioniasque insulas: quod explicare postea mihi in animo est, de Bura Heliceque tractanti. Nunc tamen dicendum puto huncce locum ubi Neptuni Æthræque factus est occursus, non tantum terræ motibus esse obnoxium, sed etiam ignito quondam solo compositum, calidis etiam nunc sulfureisque fontibus passim e terra manantibus; Calauriam insulam arsisse olim, ut soli indicat natura, maxime vero peninsulam quam Methanam vocitant, emersum ejus Pausania, Ovidio, Strabone narrantibus[1]. Quod ab Ovidio memoriæ nostræ traditum est, illud novissime subterraneum ignem manifestum fecisse videtur; postea autem calida balnea, sicuti Thermis in altera Isthmi parte, exstructa in hoc loco fuere, quorum aquæ regnante Antigono demum apparuerant: exstat etiam nunc ille fons, nomine Bromolimni. Alius autem in ipso mari juxta littora ad Æginam insulam spectantia emergit; et si quis in excelsam peninsulam ascendat, craterem formis abruptum et sulfureo plenum odore facillime agnoscet. Minime igitur mirum est antiquis maxime Græciæ temporibus Neptuni cultum illa in regione institutum fuisse præcipueque in insula Calauria, sola, priusque Methana e fluctibus emergeret, exsistente. Paulisper equidem in hoc loco institi, quia ora illa maritima in longo terrarum tractu sita est Neptuni σεισίχθονος cultu valde insigni, ut postea videbimus.

9. Colebatur Hermiones Neptunus θαλάσσιος, urbis antiquæ Homeri temporibus inclytæ : in littore templum erat non procul ab urbe in quodam promontorio; et paululum procedenti obvius erat Neptunus quidam æneus pede delphino imposito. Simul videre erat Cereris templum antiquum prorsus, a Phoronei filia exstructum, Chthonia scilicet, quo nomine remota admodum tempora significantur, virgini simul

1. Ov., xv, 295. — Strab., I, p. 59. — Paus. Cor., 34.

ac deæ loci indito : ibi Cereri immolabatur juvenca sicut taurum Neptuno offerre consueverant. — Iisdem adscribam traditionibus propter locorum vicinium, conjunctos Neptuni Cererisque ad Didymon cultus[1]; et tandem in latos Argi campos, nullis ex quo Athenas relinquimus occurrentibus, pervenio.

10. Quum Neptunus, maris dulciumque aquarum et terræ motuum numen, Argolidis campos simul undis obruit et fontes siccavit, pepercit tamen eximio Lernæ fonti, Amymones[2] amore captus : quam postquam amavisset, filium maritimo nomine Nauplium habuit. Quæ quidem ad remotissima tempore referenda sunt, quum Inacho regnante evenerint, et illa virgo Amymone filia sit Danai ex Ægypto oriundi. Nauplius antiquum illum Neptuni cultum in urbe nominis sui Nauplia instituit[3] : inter Naupliam autem, Argosque et Lernam fons manat quem inter maxime copiosos totius Græciæ annumerare minime dubitem, statim ex ipso ostio magnum flumen Erasinum profundens. Nihil narrat Pausanias de loco illo adeo insigni : dicit tantum Pana atque Bacchum in Erasini fontibus esse cultos[4], ubi duas videre est speluncas divis duobus etiam nunc sacras hominibus. Forsitan non ita copiosi erant quondam illi fontes, quum in Amymones fabula narretur unum esse in universa regione Lernæum fontem. Quod autem in dubium venire non potest, e Stymphalia, subterraneis aquarum ductibus ipsa natura dispositis, decurrit Erasinus, Stymphalique in Arcadia cultum habebat Neptunus supra lacum in promontorio; fieri vero potest ut quondam non eamdem, qua hodie decurrunt, viam aquæ ex Arcadia venientes secutæ sint et fontes præcipue sub terra petierint Lernæos, siccato ipso quoque ira Neptuni Erasino.

11. Non procul a Lernæa palude fluvius est Phrixus nomine,

1. Paus. Cor., 35.
2. Hygin., fab. 169. — Apollod., II, 1, 4.
3. Paus. Cor., 38.
4. Id. Cor., 24.

qui torrentes aquas aliquando devolvit, vulgo autem siccus est, petris in alveo albentibus; circa ejus ostia locus est Temenium nomine in quo templum Neptuno exstructum est; et paulo longius, in extrema illa plani littoris parte ubi Anigrææ viæ scopuli incipiunt, templum aliud Neptuni γενεσίου, in terræ quodam angulo ubere, permultis aquarum ductibus irrigato. Neptunum illum γενέσιον, etsi non ex eodem forsan loco sit oriundus, quis negare posset eumdem esse ac Neptunum circa Trœzena et in Attici Cephissi ripis φυτάλμιον? Qui si γενέσιος nominatur, non aliam esse causam lubens arbitrer nisi loci ubertatem aquarum copia genitam.

Numen illud dulcium aquarum ac fontium, quod jam non semel in diversis littorum partibus invenimus, circa extremam orientem versus Anigræam viam rursus occurrit. Ibi enim, in locis admodum asperis horrendisque, res est inter eas quæ in Græcia monstrantur maxime insignis : *Dinen* dico, fontem scilicet ex profundis maris fluctibus violento turbine emergentem, quem hodie Græci Ἀνάϐολον justo nomine appellant. Quod prorsus simile est subterranei Erasini : Argi enim Arcadiæ campi, et ut ego arbitror Tegeæ aquæ in multos gurgites mediis sub montibus absorbentur, quæ deinde e profundo maris alveo Argolicum circa littus erumpunt, fontem miræ magnitudinis in maris æquore emittentes. Cui rei proferendæ nullius adjumenti mare est, quæ minime ad Neptunum ϑαλάσσιον pertinet : si tamen numen quodlibet quæramus cui tale aliquid possit attribui, nullum aliud nisi Neptunum invenire in nobis est. Itaque Neptuno sacer ille locus erat : ei enim equi immolabantur quos frenis instructos in fontem præcipites agebant; aquis autem salientibus rejecti in alto aliquamdiu fluitabant, marinis tandem belluis, Amphitrites alumnis, in prædam venientes.

12. Longum illud littus quod ab Astri campis Maleam usque extenditur, antiquis auctoribus neglectum fuit admodum : quod minus nobis mirum videbitur considerantibus ipsum,

fere omnino scopulis asperum, parum loci hominibus permittere. Itaque nulla ferme traditio in his partibus reperitur. In Malea autem promontorio Neptunus est, fontium lacuumque numen : ex Bæis enim promontorium petenti lacus erat obvius, nomine *Nymbæum*, in cujus littore Neptuni signum erat, nec procul abinde spelunca, fonte aquæ dulcis emanante. — *Ægis* autem, circa maris littora ut ex ipso nomine conjectare est, Augiis ab Homero appellatis lacus quoque est Neptuni nomine designatus. — Gythiique, in Ægarum vicinio, Neptunus terræ potens colebatur, scilicet γαιάοχος, nomine nunc primum reperto, sæpius autem in interioribus Peloponnesi partibus inveniendo[1].

13. Colitur in *Tænaro* Neptunus σεισίχθων simul atque πελάγιος. Templum ejus erat in spelunca, ut permulta sunt alia diversis sacra numinibus. Ante speluncæ ostium dei erat statua, citharœdusque *Arion*[2], delphini dorso vectus. Tænari numen in universa Græcia colebant et summa religione prosequebantur : ut qui enim Arionem servasset, patronus erat adjutorque nautarum et pelagi dominus, quod supra templum ejus Tænari eminebat; ut autem in extrema præalti montis parte stabat, Taygeti terræ motibus frequenter concussi, tanquam σεισίχθων vel ἐννοσίγαιος colebatur. Itaque non a subterraneis recessibus alienus est; quippe in eo loco erat aditus quidam celeberrimus ad inferos, quos aliquando etiam Tænarum poetæ vocant. Templum illud asylum erat, ut ex eo videre est eventu quem supra jam memoravimus : nam cæsis Neptuni supplicibus, violentum Lacedæmonii terræ motum sensere quo fere omnes urbis domus eversæ sunt.

14. Raro nobis in Messenia occurrit Neptunus, quæ tamen regio aquis maxime insignis est : non enim tantum maritima est, pulchrum longumque in littus porrecta, portubus ac navium stationibus eximiis instructa; sed etiam fluvium

1. Paus. Lac., 21.
2. Paus. Lac., 25.

habet totius Peloponnesi copiosissimum semperque plenis oris fluentem, saltus per scopulos aquarum amœnissimos, egregiam soli ubertatem; immo, non Aulon tantum sed et Stenyclaros lacus quondam, veteribus ipsis narrantibus, fuerant, e quibus, ruptis collium claustris, effluxerunt aquæ. Attamen sive littora sive interiores Messeniæ partes perlustremus, paucos admodum locos invenire est, in quibus Neptunus aquarum numen coleretur : templum erat Neptuni Messenæ. Arenæ autem Cretheus, Æoli filius, Neptuni natus habebatur; sed advena erat ab Iolco, unde ipsum Pelias ejecerat [1]. Coronæ denique, in maris littore, locum quemdam Ino sacrum reperimus, narrantibus accolis eam in hoc loco e fluctibus egressam priusquam ad cœlum ascenderet. Sed Ino et Melicerta ad Saronicum sinum unice pertinent, unde fieri potest, ut Coronen a navigantibus traditio allata sit. Duo colebantur præcipue numina apud Messenios a Neptuno prorsus aliena, Jupiter in Ithome, et Artemis Limnatis : quæ quum ad se omnes hujus terræ religiones vindicarent, non sensere incolæ, quæ res tamen ad Neptunum spectant, paulatim deprimi Messeniæ littora non secus ac Laconiæ, et magna ex aquilonis partibus Ionii maris fluenta miros in pulchræ hujus provinciæ ora effectus parere.

15. Quod de Messenia dictum est idem dicam et de Elide, quanquam ejus incolæ Eleio, Neptuni filio, suam referebant originem. Maximum in Elide numen erat Jupiter Olympius, cui Neptunus cæterique dii subjecti erant. Non tamen prætermittam illud Hippii Neptuni altare quod in Alti fuit; nondum enim nobis deus occurrit eo nomine designatus ex quo reliquimus Attica littora : neque immerito notaveris non solum Hippium esse in Alti huncce deum, sed etiam Palladem, Junonemque et Martem, quorum numen equos tueri vulgo credebatur. Mox autem nobis erit animadvertere ad Arcadiam maxime spectare illum Hippii Neptuni cultum, et

1. Paus. Mess., 2.

præsertim ad Ladonem fluvium cujus aquæ supra Olympiam in Alpheum decurrunt : unde non absurde forsitan colligemus abinde Hippii in Altin Neptuni religionem devenisse, adjunctis postea tribus aliis numinibus, ne equites aurigæque in Olympicis campis decurrentes invocandis patronis carerent.

16. In Achaiam tandem pervenimus, cujus jam antea confinia ad orientem spectantia attigimus, et nunc in sinu Corinthio versamur, in ea scilicet Græciæ parte quæ Neptuno non religionibus tantum sed natura etiam addicta videbatur. Jam enim in *Patrensi* portu templum dei marmoreumque signum videre erat, quo stans et altum mare intuens erat repræsentatus. — Non procul ab *Ægio* parvum erat ædificium in quo complures statuas videre erat, inter quas stabat Neptunus. In ipsa autem urbe templum hujusce dei erat, atque pariter colebatur cum Aphrodite, filiaque Cereris et Jove Homagyrio, quem eo nomine designatum fuisse tradunt ex quo Agamemnon in Troada iturus exercitum in hunc locum collegerat. — Trans urbem Ægium nec procul orientem versus sitæ quondam floruerunt *Helice Buraque*, Neptunio cultu celeberrimæ. — Longius etiam procedenti obvia erat urbs antiqua *Pellene*, in colle quodam eminente sita, unde visus non in Corinthium modo sinum sed in Saronicos etiam fluctus Myrtoumque mare ultra Zostera promontorium extenditur, locus Neptuni sacer. Breve autem illud et angustum Achaiæ littus inter omnes alias Peloponnesi partes insigne reddiderunt ea quæ de Neptuno Ægæo antiquissime, recentius vero de Helices ac Buræ ruina traduntur.

Urbs quidem *Ægæ* Homeri temporibus ex omnibus Græciæ civitatibus celeberrima erat peculiari suo Neptuni cultu, quanquam in vicinio *Helicen* æmulam habebat; in utramque enim dona splendidissima undique afferebantur. Sed, quamvis longe lateque Helices urbis fama cum Neptuni *Heliconii* nomine dispersa fuerit, eo tamen Ægæ præstabant quod locus esset ubi sub maris fluctibus præcipuas domus suas

Neptunus incoleret [1]. Qui quidem terræ angulus angustus valde magnos inter montes et mare infecundum primigenos colebat deos ; unde facile colligi potest Neptunum quoque, eorum filium, antiquis admodum temporibus in eo loco cultum habuisse : namque in *Drepano* promontorio Uranus a Krono virilitatem ademptus est, ut loci nomen ipsum indicat [2]; nec procul ab Ægis, circa Crathis fluvii ostia antiquis prorsus fabulis celeberrimi, locus erat Γαῖον vocatus, ubi colebatur Terra εὐρύστερνος, cujus veteris admodum ξοάνου in ædibus asservati religionem summis honoribus prosequebantur [3]. Numen maris est Ægarum deus, ut ex ejus domo in maris profundis sita apparet. — Sed postea terræ quoque motuum numen in infelici illo Achaiæ littore factus est. Quarto enim anno CI Olympiadis, terra vehementer mota est. Postquam ab Achæis expulsi, Asiam Ionii petiissent, non desierunt Neptunum Heliconium summa in religione habere; postea autem, quum Achæi supplices quosdam e dei templo avulserunt et neci tradidere, extemplo Neptunus patefactus est. Solent dii eodem semper modo magnos terræ motus prænuntiare, seu pluviis abundantibus aut sicca mirum in modum tellure; sæpius conturbata est cœli temperies, sole inter nebulas rubente; siccantur fontes, turbine ventorum pulvis attollitur aut imis radicibus avelluntur arbores. Subito autem et violento prorsus terræ motu Helice funditus eversa est, non ædibus tantum sed solo etiam urbis in profundum fatiscente; tantum, non universam regionem mare cooperuit, ita ut Neptunii luci arbores summo cacumine supra fluctus eminerent. Urbem autem et incolas terra undaque absorbuerunt [4]. » Quum autem a numine Helice [5] diruta est, Bura quoque ita violenter commota fuit ut antiquæ etiam maxime

1. Il. XIII, 10.
2. Paus. Ach., 23.
3. Id. Ach., 25.
4. Id. Ach., 24.
5. Strab., VIII, 384. — Diod., XV, 49.

deorum statuæ in templis non restiterint; incolæ autem omnes, nisi forte abessent, pæne ad unum periere. Et nunc, ait Ovidius,

> Si quæras Helicen et Buran Achaidos urbes,
> Invenies sub aquis, et adhuc ostendere nautæ
> Inclinata solent cum mœnibus oppida mersis[1].

« Helicen et Buram in sinu Corinthio quarum in alto vestigia apparent[2]. »

Heraclides Ponticus illum terræ motum Neptuno tribuit irato quod ipsius statuam hujus loci incolæ Ioniis in Asiam colonis abeuntibus negavissent. Intermisso autem centum annorum spatio, Eratosthenes in hoc mari æreum vidit Neptunum qui tanquam scopulus erat navibus infestus. Hodie ne minimam quidem earum urbium partem neque in littore neque in alto videre est.

Non satis equidem mirari possum Neptuni σεισίχθονος religionem in iis præcipue locis insignem fuisse, ubi talia in rerum natura fieri solent. Magnus autem est soli ignibus subterraneis impositi tractus a Rhodo[3] insula usque ad Cephalleniæ montes porrectus; inter illas insulas ordine quodam et quasi recta linea dispositæ sunt Thera (Santorin) et Calauria insulæ, Methanaque et Trœzenia regio; Corinthus Cenchreo calidæ aquæ fonte et Pirene circa Isthmum insignis; deinde Sicyon, Ægæ, Bura, Helice, Ægiumque et Taphii montes, sub quibus, ut memorant, Nessus cæterique centauri jacent sepulti, tetro sulfuris odore apud Ozolas manante. In plerisque autem istis locis peculiari et antiqua prorsus religione Neptunus colebatur : sitis autem iis urbibus plerisque juxta maris littus, σεισίχθονα simul et πελάγιον eodem cultu prosequi assuevere : idem ille deus qui in Ægæis fluctibus habitabat, regnante Antigono[4] Sicyonem urbem Rho-

1. Metam., XV, 293.
2. Plin. H. N., II, 92.
3. Strab., I, 57.
4. 223 a. Christ.

donque et insulas[1] etiam in Ægæo mari nonnullas violenter commovit, Eubœam concussit, Lelanti solo fatiscente flumen quoddam luti igniti ejecit. Minime igitur mirum est totum terrarum tractum, qui ex insula Calauria ad Naupactum extenditur, maris fluctibus interfusis, calidisque fontibus multis in locis manantibus, solo denique sæpius terræ motibus exagitato, Neptuni σεισίχθονος simul et θαλασσίου fuisse insignem.

II. Nunc interiores Peloponnesi partes ingrediamur, ejusdem religionis vestigia et naturam quærentes.

1. Non rursus Neptuni Heliique de Corintho jurgium aggrediar, de quo jam antea dictum est; nobis tantum in mentem redeat in hac fabula de maris fontiumque numine præcipue agi. — Neque denuo Neptuni ac Junonis disceptationem circa Argos narrabo; nomen enim προςκλυστίου Neptuno in hac regione inditum, causaque cur ab Argivis hoc nomine coleretur, locus ubi templum ei exstructum fuerat, satis clare demonstrant θαλάσσιον in Argolide præsertim cultum fuisse; sed fontium numen indicant non ipsius tantum cum Amymone amores, sed et omnes hujus regionis fontes exsiccati. — Quid addam de Elide atque Messenia, vix Neptunum noscentibus, Jovis atque Artemidis religioni deditis? — Sed minime *Laconiam* præterire mihi in animo est. Præter enim Neptuni ad Tænarum religionem, deus ille non in urbe solummodo Lacedæmoniorum, sed in quibusdam etiam aliis locis colebatur, præcipue autem Therapnes[2], in sinistra fluminis ripa, γαιαόχου nomine, et Amyclis[3] ubi effictus cernebatur in Apollinei altaris latere, Amphitrite Inoque comitantibus. In urbe autem templa permultaque nomina habebat Neptunus. In ea enim camporum planitie, vividis rivorum aquis irrigata, herbisque omnisque generis

1. Strab., I, p. 40.
2. Paus. Lac., 20.
3. Id. Lac., 19.

arboribus condita, non mirum est religionem esse Neptuni γενεθλίου [1], ædibus dei non procul a theatro in ea parte exstructis quam nunc inter urbis rudera oleæ morique mira ubertate crescentes obtinent. Cum illa religione τοῦ γενεθλίου conferre non absurdum est Neptuni ἱπποκουρίου cultum; namque, ut postea videbimus, ille deus qui equum aut genuit aut saltem tuetur, idem cum Cerere ubertatis ac plantarum numine arctam habet societatem, et illam quidem antiquissimam. Qui domos tuebatur deus et vocabatur δωματίτης [2], idem, ut arbitror, erat qui eas evertit anno ante Christum CCCCLXIX, quique eodem tridentis ictu Taygeti culmina dejecit et in Laconia multos aperuit gurgites. Ad eamdem etiam religionem spectat Neptuni ἀσφαλίου cultus; qui enim terram funditus commovet, ejus etiam stabilire potest fundamenta. Itaque postquam Lacedæmonis cladem Græci vidissent, eam Tænario numini extemplo tribuerunt: nec immerito; illud enim promontorium Taygeti montis extrema pars est σεισίχθονι deo præsertim obnoxia. Quum tanta montium, urbium solique ipsius ruina summam formidinem credulis vulgi mentibus incutiat immotas rerum naturæ leges ignorantis, inde intelligere possumus quamobrem Neptunus Tænarius templum in extrema Aphetaide via haberet ad meridiem et ad formidolosum illud promontorium versa.

2. Inter omnes autem Peloponnesi regiones Arcadia plurimas nobis præbet fabulas ad cultum Neptuni respicientes, plurimaque in natura rerum monstratu digna, unde illæ explanari possint religiones. Quæ tamen, dum præcipuum habet numen Neptunum, a mari, ut Homerus animadvertit [3] undique sejuncta est, etiamque supra maris æquor valde excelsa et montibus aspera altissimis. Quod etiam in causa est cur ea regio magni nobis momenti esse debeat, ea,

1. Paus. Lac., 15.
2. Id. Lac., 14.
3. Il., I, 614.

ut erat accessu admodum difficilis, ab omnibus Græciæ fortunis aliena permansit. Quum enim redierunt Heraclidæ, disturbata fuit universa Peloponnesus, præter Arcadiam [1]; nunquam patriam suam incolæ reliquerunt et indigetes a cæteris Græciæ gentibus habebantur [2]. Unde evenit ut veteres fabulæ in Arcadia pæne sinceræ superfuerint.

Rei autem illustrandæ causa, Arcadiam tanquam in tabula depingere tentabo. Culmen nobis sit ac fastigium, de quo tota circum regio omnisque Peloponnesus dependent, mons *Aroanius;* Cyllene enim, etsi sit præalta, aquas fere omnes in suppositum Corinthi sinum statim defert. Ex altis igitur Aroaniis rupibus decidit *Stygis* aqua præceps, in sterili horrendaque Nonacridis valle. Postquam autem tanquam nebula evanuit, colligitur tamen sub montis radicibus, et *Crathim* fluvium gignit ad Corinthiacum mare defluentem, sito non procul ab Ægis ostio. Reliquæ autem Aroanii montis aquæ, circum effusæ et cum e Sciathis monte decurrentibus aquis conjunctæ, in præclusam *Phenei* vallem tanquam in vasculum conveniunt. Inde, ductibus quibusdam sub montibus a natura ipsa dispositis, exeuntes Ladonem fluvium gignunt copiosum, *Caphyarum*que et *Orchomeni* paludes in quas, talibus quoque sub terra ductibus, conveniunt aquæ ex Alea usque ad Teneos fontes delatæ. In his autem palustribus campis sicut in Phenei lacu gurgites sunt, per quos magna aquarum copia sorbetur, rursus in lucem profusa in Rheuni (hodie Dara) valle; unde ad Ladonem tandemque ad Alphea devenit. Tertio autem infra Orchomenon gradu patent *Mantineæ Tegeæ*que campi, in Argos illud solum de quo jam diximus versus orientem porrecti. Argos ille campus, sterilis scilicet ob aquarum copiam, per Artemisii montis gurgites fluenta quædam emittit, unde Dine Neptuno sacra in alto mari nascitur. Cæteræ vero aquæ in uberibus illis campis collectæ partim in Ophis fluvii gurgite circa Mantineam ab-

1. Paus. Cor., 13.
2. Id., Elid., 1.

sorbentur, partim in imo Parthenio monte non procul ab urbe Tegea versus orientem : hæ autem sub terra ad Argolicum littus labuntur, illæ in longis *Aseæ* campis scatent ubi mixta gignunt *Alphei Eurotæ*que fluenta. Quarto autem ultimoque illo gradu, divisæ monte quodam et collibus aquæ tum in terram insinuantes Helissi fontes emittunt per Megalopolim ad *Alphea* decurrentes, tum illos *Eurotæ* fluctus qui in extrema septentrionem versus Laconiæ parte nascuntur. — Altera pars aquarum ex Aroaniis montibus ad *Pheneon* decurrentium, sub montes abietibus consitos præcipitat, et cum Cyllenes aquis mixta *Tricrenos*, ut vocant, fontes ad *Stymphala* defluentes emittit. Hujus tamen inclyti lacus aquæ e *Cyllene* originem plurimæ ducunt, utpote quæ sub ipsis hujus alti montis pedibus prorumpentes magna quidem copia, ad horrendum sub Apelauro monte gurgitem decurrant, unde per terram ductæ in Argolico littore *Erasinum*, ut antea dictum est, producunt.

Is est in Peloponneso pæne omnis aquarum dispositio et cursus, locum hunc obtinent, eas tanquam partes agunt præalti Arcadiæ montes Aroanius et Cyllene, quibus lubens et Erymanthum addam nisi, lapidosus maxime et arboribus pæne denudatus, male cœli aquas nivesque retineret. Considerandum igitur est e summis Aroanii montis culminibus aquas per campos in gradus dispositos delabi, meridiem versus, orientemque et occidentem ; sub terra cursum peragunt, quia præclusi illi campi et montibus undique circumdati nullos præbent aquis exitus, nec tamen, nisi circa Pheneon ac Stymphalon, in lacus perpetuos mutantur ; et tandem in maximas Peloponnesi valles aut in subterraneos lacus collatæ in mare deveniunt, duobus genitis fluminibus Alpheo scilicet atque Eurota, duobusque maximis fontibus, Erasinum dico cum Lernæa Amymone, Dinenque in alto prorumpentem. Unde Aristoteles [1] : ὅτι δ' εἰσὶ τοιαῦται φάραγγες

1. Arist. Meteor., I, 13.

καὶ διατάσεις τῆς γῆς δηλοῦσιν οἱ καταπινόμενοι τῶν ποταμῶν· συμβαίνει δὲ τοῦτο πολλαχοῦ τῆς γῆς, οἷον τῆς μὲν Πελοποννήσου πλεῖστα τοιαῦτα περὶ τὴν Ἀρκαδίαν ἐστίν. αἴτιον δὲ διὰ τὸ ὀρεινὴν οὖσαν μὴ ἔχειν ἐκροὰς ἐκ τῶν κοιλιῶν εἰς θάλλατταν· πληρούμενοι γὰρ οἱ τόποι καὶ οὐκ ἔχοντες ἔκρυσιν αὐτοὶ εὑρίσκονται τὴν δίοδον εἰς βάθος, ἀποβιαζομένου τοῦ ἄνωθεν ἐπιόντος ὕδατος. Minime igitur mirari possumus Peloponnesum antiquum Neptuni domicilium, οἰκητήριον Ποσειδῶνος, fuisse habitam, Arcadiamque, arcanis timendisque deditam numinibus, plurimas et insignes de Neptuno fabulas servavisse.

1. *Styx*, per quam jurant numina, aquarum lapsus est inaccessus ex præaltis Aroanii rupibus desiliens. Unde Homerus :

Στυγὸς ὕδατος αἰπὰ ῥέεθρα

Hesiodusque :

ὕδωр
ψυχρὸν δ τ' ἐκ πέτρης καταλείβεται ἠλιβάτοιο
ὑψηλῆς [1],

aliasque :

Στυγὸς ἄφθιτον ὕδωρ
Ὠγύγιον [2]·

filia erat Tethydis atque Oceani, maximorum natu inter Titanas e Terra Uranoque genitos [3], omnesque fluvios fontesque gignentium ideo Oceanidas nominatos : quarum maxime eximia est Styx secundum Hesiodum. Decima illius pars sub terra labitur fontemque et cornu (κέρας)[4] Oceani formare dicitur, reliquis ejus aquis super terram et super mare defluentibus. In Nonacri igitur Arcadiæ urbe origo fluviorum est

1. Theog., 775.
2. Ibid., 805.
3. Apollod., I, 8. — Hes. Theog., 336.
4. Vide notam ad calcem.

marisque immensi : quod quidem apte et merito admodum a veteribus effictum fuisse arbitror; namque exhauriretur Oceanus nisi amissæ ab eo quotidie aquæ in summis montibus colligerentur, unde in fluvios decurrunt et mari tandem redduntur unde sublatæ fuerant. Neptis igitur est revera Terræ Cœlique Styx, filia autem Tethydis et Oceani, mater simul, ut narrant, Oceani ejusdem, et excellentissima fontium omnium soror. Cum ea autem, in summis inaccessisque Aroanii rupibus habitant, in ipsisque « Oceani fundamentis » Titanes, maximeque Briareus, Neptuni gener[1], ejusque pugnarum arbiter.

2. Non arbitror equidem eodem ordine quoad dignitatem in religionibus distributa esse Græciæ numina, quo in diversis ejus partibus aut temporibus coli inceperunt. Itaque quamvis antiqua illa numina Nonacridis vallem habitent, non ideo ibi primum cultum ea habuisse putem; neque in Pheneo natus est Neptunus, quamvis in ejus valle et lacu primum colligantur aquæ e montibus delapsæ : natus est enim Neptunus circa Mantineam, juxta *Arnen* fontem[2] ipsi sacrum. Numen illud maris quod Ægis aureas domos sub undis habitare solebat, inter pecora genitus est : primos habuit comites agnos deus ille qui montes concutit evertitque urbes funditus : ibi pullus equinus Krono datus est comedendus. Itaque præcipuum erat numen in illa regione Neptunus : sub *Alesio* monte ipsi templum erat antiquum prorsus, robore compactum, opus, ut memorant, Agamedis et Trophonii[3]; timendum valde incolis; namque pronepos Agamedis Æpytus ad id audaciæ pervenit ut templum intraret inaccessum; seu laneam funem rupisset sive eumdem esset transgressus : at hic, sicut Athenis in Erechtheo atque Mylasæ in Asia, mare quoddam erat arcanum, cujus unda extemplo prorumpens Æpytum excæcavit. Reformidabant Pausaniæ temporibus

1. Hes. Theogon., 775 et sq.
2. Paus. Arc., 8.
3. Id., Arc., 10.

mare illud et templum, cui, etsi præ vetustate periret, detrimentum afferre non ausus est Adrianus, et novas ædes circum veteris templi muros exstrui jussit. Deus ille maris in eodem templo tanquam hippius colitur, et Cereris luco contiguus est.

3. Namque in Arcadia narratur insignis illa de Neptuno, *Cerere* atque *equo* fabula[1]. Dum filiam quæreret Demeter, Neptuno amoris causa insequente, in equam conversa est et cum cæteris equis circa Oncium pascentibus abiit: in equum autem Neptunus mutatus cum Cerere invita coire potuit. Irata primum Demeter, postea furorem remisit et in Ladone demum lautum ivit: unde *Erinnys* ob iram appellata est nomine quodam Arcadico quod ad Erinnyas ex Urani cruore genitas minime spectat; et *Lousia*, quia in flumine corpus lavit. Ex eo Neptuni ac Cereris commercio nata est filia cujus nomen pronuntiare nefas erat, et equus Arion: unde narrant Arcadii sese Neptuno *hippii* nomen primum indidisse[2]. Sed dicit Antimachus filium Terræ esse Arionem, circa Oncium tamen genitum. Inclytus postea equus ille factus est; namque equitem habuit Herculem quum Elin subigeret, posteaque etiam regem Argi Adrastum.

Neptuni hippii cultus per universam Arcadiam dispersus, Ladonem et Alphea fluvios secutus est et Olympiam usque pervenit. Trajectis quoque montibus in Phenei campos provectus est, fecundos olim miraque ubertate soli insignes, nunc autem altis aquis superfusos. Ibi cum alia quadam fabula videtur coaluisse: memorabant enim Phenei incolæ Ulyssem quondam, amissos equos quærentem, eo pervenisse statuamque æneam in eo loco Neptuno hippio posuisse, ubi illos invenerat; ipsum deinde abeuntem mandata quædam in statuæ basi inscripta hominibus equos curaturis reliquisse. Minime autem verisimilis ea fabula est: dubitare enim nos

1. Paus. Arc., 25.
2. Dion. Halic., I, 33.

licet quemquam ipsumque Ulyssem scribere potuisse remotis adeo temporibus; nemo autem ignorat artem æris liquandi multo post fuisse inventam. Quidquid ea significet fabula, Phenei quoque reperire est cum Neptuni religione Cereris cultum conjunctum; deæ templum in Aroanii fluminis ripa erat, in gurgitem sub monte Sciathi decurrentis; omnia enim præter fabam olera incolis dono dederat quicumque ipsam hospitio excepissent.

Methydrii quoque, non procul a Tricolonis, juxta Mylaona fluvium, Neptunus hippius colebatur.

4. Cum Cerere etiam in Arcadia societatem aliam habet Neptunus, nec ubertatis solummodo et plantarum numine. Ex eorum enim commercio filia quædam nata est, cujus verum nomen profanis prodere nefas erat. Præ cæteris numinibus ea in regione colebatur, *Despœnæ,* id est dominæ, a plebe nomine designata. Filia erat Neptuni sicuti filia erat Jovis Cora, cujus verum nomen, Persephonen scilicet, omnes noverant. Permulta erant apud Arcadas Despœnæ templa; quorum celeberrimum viginti stadia ab Alpheo distabat, a Megapoli recedenti obvium. In eo tres erant statuæ, Demeter scilicet, Despœnaque et deorum mater (Rhea); extensum in filiæ humeris brachium Ceres ferebat, facem altera manu sustinens; Despœna autem sceptrum gerebat, cista genibus imposita; altera solii parte Artemis erat, quam Cereris filiam Arcades esse contendebant, altera autem Anytus Titan, ut qui olim Despœnam rapuisset. In Despœnæ luco altare erat ejus parenti Neptuno hippio sacrum [1].

Contendunt Phigalienses Despœnam non vero equum, e Cereris Neptunique amoribus genitam fuisse. In ea tamen montis Elaii spelunca quæ adversus urbem in sinistra Nedæ fluminis ripa sita est, Demeter Melæna equinum caput et crines equinos gerebat ex quo serpentes aliæque belluæ enasci videbantur; dextra autem delphi-

1. Paus. Arc., 37.

num ferebat, sinistra columbam (περιστεράν). Ea sane animantium parens erat, delphino columbaque, speluncas juxta mare amante, ipsius cum Neptuno societatem monstrantibus. Quem ego cultum multo post inventum et compositum fuisse crederem, nisi ξόανον fuisset antiqua illa Melænæ Cereris statua : Demeter autem sine ullo dubio vera erat, Deo scilicet sacro suo nomine a Pythia ipsa designata.

Prorsus antiqua est apud Græcos fabula illa de equi Neptunique societate : neque enim tantum apud Arcadas narrabatur, deo præcipue fluviorum cum Cerere conjuncto equum in lucem edente. Apud Homerum quoque[1] immortales Achillis equi Balios et Xanthos a maris numine dono dati fuerant; Neptunus enim, ut memorat Apollodorus[2], Thetidis Peleique nuptiis adfuit, et huic equos illos munus obtulit. Quum autem Nestor natum suum hortatur Antilochum : « Nate, inquit, tibi faverunt Neptunus et Jupiter quanquam adolescenti admodum, et te ita docuerunt artem ducendi currus et domandi equi cujuslibet, ut inter optimos Græciæ equites annumereris[3] »

« Tuque, Neptune hippie, inquit Æschylus[4], marium potens, tridentem nobis agites, timendam piscibus machinam. » Redit etiam nobis in memoriam insignis ille apud Sophoclem locus[5] : « hoc etiam in laudem patriæ meæ celebretur, potentis Neptuni donum, eximium hujus loci decus, ars scilicet domandi equi et maris imperium : o Saturni nate, potens Neptune, tu quidem eam ad illud gloriæ evexisti, freni usum docens equos cohibentis; per te etiam navis, remis agentibus, propera æquor ponti trajicit, centeno Nereidum grege circumdata. » Id est numen inter maris et equi deum vinculum; Onchesti[6] tamen, non secus atque

1. Il., XXIII, 277.
2. Apollod., III, 13, 5.
3. Iliad., XXIII, 306.
4. Æsch. Sept., 121.
5. OEd. Col., 707.
6. Strab., IX, 412. — Hes. Herc. Scut., 104. — Æsch. Sept., 121.

circa Oncium, Neptunus hippius celebri religione colebatur : « Ibi enim [1] juvenis equus domitus recenter, spirat fortiter aera naribus, splendidum currum postquam protraxit : peritus dux humi desilit et currum relinquit cursum peragentem; sine auriga feruntur equi; sin autem umbrosum lucum pervenerint, solvunt equos et curant servi currusque inclinatos ordine disponunt. » Notandum tamen est in his omnibus fabulis domandi equi artem solum Neptuno tribui, quod quidem revera ad hunc deum spectare potest qui fluctus maris tanquam equos continet et fluvios decurrentes moderatur : Oncii tantum neque alibi narratur equi genitorem esse Neptunum, et cum Cerere habuisse commercium.

Cereris cultus in ubere Arcadia frequenter reperitur, cum filia sua fere adoratæ sæpiusque cum Neptuno consociatæ. Commune habebant templum in eo loco quem χῶμα vocabant, limite scilicet Megalopolin inter Tegeamque et Pallantium, juxta paludem nec procul a quodam gurgite. In ipsa urbe Tegea templum habebant, καρποφόροι vocatæ. In via quæ a Tegea Argos ducit, sub monte Parthenio, juxta horrendum quemdam gurgitem, Ceres colebatur ἐν Κορυθεῦσι. Templum Cereris maxime veneratum Ἄργος πεδίον intrantibus juxta Arnen fontem occurrebat, aliudque Nestanes erat, quod summis honoribus prosequebantur.

Jam antea littora Peloponnesi peragrantes cultum Cereris cum Neptuni religione consociatum inveneramus; quid tamen erat præ illis quas in Arcadia invenimus fabulis? Namque ambo illa numina cum filia Despœna præ cæteris omnibus in hac regione colebantur, neque ullam traditionem ibi invenire est quæ fabulis de Neptuno, Cerere et Despœna apud Arcadas narratis præstare videatur.

5. Necdum tamen omnes locos recognovi in quibus Neptunus ab iis colebatur. Non enim dixi præcipuum illud fuisse numen apud Orchomenios [2], templumque habuisse Caphyis

1. Hom. Hym. 1, 231.
2. Paus. Arc., 13.

circa gurgitem quo hujus loci aquæ absorbebantur; templumque aliud in Megalopoli, ubi ἐπόπτης dicebatur, novo quidem cultu, quum recens foret ipsa civitas, satis tamen demonstrante patronum fuisse Arcadiæ Neptunum : quod etiam cum fabula quadam Arcadum conferemus narrantium, eo tempore quo Agis adversus Mantineam duxit exercitum, Neptunum apparuisse pro urbe depugnantem. — Denique templum habebat Neptunus Stymphali, in urbis promontorio supra lacum eminente : in hac autem regione permulta videre est, mira sane naturæ arcana : flumen enim magnum, e Cyllenes radicibus prorumpens hieme lacum, æstate campum trajicit; in gurgitem opaca ejus aqua sorbetur sævam mephitim exhalans, magno cum sonitu; postquam autem sub terra lacus invisos præteriit, redit ad lucem Erasini nomine, pellucida, in Argolicis littoribus.

— Ex quo maritimam oram reliquimus, bis tantum maris numen reperimus, in Styge scilicet ubi est fons et cornu Oceani, et in Mantineæ templo ubi mare quoddam videre erat. Ubique autem Neptunus fontium numen est, currentiumque aquarum, lacuumque et gurgitum; cum Cerere societatem habet, ex qua equum gignit aliosque forsitan animantes sicut juxta Phigaliam erat efficta Ceres, et denique arcanam quamdam filiam Despœnam, universæ hujus dominam regionis. Numen tamen illud Neptuni quod aquis dulcibus imperat plantasque et animalia tuetur, idem est quod Helices Ægisque colere solebant, sicut φυτάλμιος ille Attici Cephissi Neptunus idem est qui mare habet in Acropolis Erechtheo. Præterea Neptunus ille Arcadiæ idem est qui terras concutit, quum Dines Lernæque, Genesii et Trœzenis numen non aliud sit quam Calauriæ numen, Cenchreæque, Helices et Buræ. Varia ipsi nomina pro varietate locorum veteres indidere : deus tamen idem semper est γαιάοχος, sive terram marinis aquis circumdet, sive aquis irriget dulcibus, sive aquis exundantibus cooperiat aut aquis innixam funditus disturbet.

— Neptuno immolabantur tauri, equi, agni, sues. « Illa die, inquit Homerus[1], offerebant Pylii sacrificium in littore maris, nigrosque Neptuno tauros immolabant. Novem erant transtra, quingentique in unoquoque transtro viri, novem tauros immolantes; jam viscera degustaverant, usserantque in altari femora..... parabant convivium, prunas carnibus subjicientes, extensis in littoris arena pellibus. Nestor tradit Palladi poculum plenum vino : Deum Neptunum, inquit, adora; deinde socio trades poculum. Carnes ab igne removent et partiuntur. » Antiquum illud est simplexque prorsus tauri sacrificium : quod quidem animal sæpius Neptuno θαλασσίῳ immolabatur; non unum tamen : in Odyssea enim scribit Homerus Neptunum apud Æthiopas abesse centum ipsi tauros agnosque efferentes[2]. Infra autem, Tiresiæ umbra Ulyssem allocuta jubet Neptuno immolari arietem, taurumque et verrem[3]. In Iliade narrat Nestor sese in bello quodam, trajecto flumine Minya, ad Alpheum pervenisse : « Extemplo, ait, sacrificium potenti Jovi instauramus, immolamusque flumini taurum, taurumque Neptuno, pulchræque Palladi juvencam.[4] » — Mugit animam exspirans Hippodamas, sicuti taurus quem ad Neptuni Heliconii altare ducunt[5]. — Argonautæ circa Axeni maris ostia, templum Neptuno marium regi ædificant, et in altare quodam, deorum opere, gregem immolant thracium taurorum, forte ipsorum oculis oblatum. — Equos denique illi deo sacrificare solent, sicut fit in Argolica Dine, in quam frenis instructos præcipites agunt. — Videtur etiam Plato sacrificium, ut fieri solebat, narravisse in Critia suo : « Expediti, inquit, tauri in Neptuni ædibus errabant; decem reges, Neptunum precati ut ipse hostiam eligeret, funibus baculisque tantum instructi venabantur : ubi autem taurum

1. Odys., III, 31.
2. Ibid., I, 22.
3. Ibid., XI, 131.
4. Il., XI, 727.
5. Il., XX, 404.

aliquem ceperant, ad columnam usque adductum, rite jugulabant. Ut primum peractum erat sacrificium, poculum cruore replebant, reliquum autem comburebant et expiabant altare. Postquam cruorem humi profundentes, deos fuerant imprecati, convivium cæteraque rite celebrare assueverant[1]. »

IV.

De Neptuni imperio, natura et significatione.

Multa mihi narranda superessent, nisi ad propositi finem mox perducere lectores in animo foret. Eas attrectavi quæstiones quæ de unoquoque Græciæ antiquæ numine fieri possunt : qualis sit corporis habitus, quænam indoles, quis cœtus; quidnam memorent de ejus vita, ortuque, pugnis et amoribus; quibusnam in locis cultum habeat, quænam de eo fabulæ, quæ sacra. Nunc quærendum est quonam Neptuni pateat imperium, et ea demum quæ ex illius cultu ac fabulis indicantur de natura ejus et, quoad religionem atque artes, significatione colligenda sunt.

I. 1. Rursus autem littora peragranti obvius pæne ubique est πελαγίου Neptuni cultus : permultæ ad illud maris numen spectant fabulæ, quarum præcipuæ in Isthmo atque in antiquis Ægis memorabantur; aliæ etiam ejusdem generis et ipsæ quoque admodum celebratæ maris numen nobis demonstrant cum Pallade Athenis et Trœzenes, cum Junone Argis, Corinthique cum Sole compositum. Idem illud maris numen templa habet, statuasque et altaria in omnibus pæne Peloponnesi littoribus, præcipue aquilonem spectantibus, neque

1. Plat. Critias.

solummodo in portubus urbibusve maritimis, sed in desertis etiam locis desolatisque promontoriis. Speluncas mari adjacentes diligit Neptunus ille marinus, sive in eis equos auratis crinibus splendentes solvat, sive littoreis suisve nymphis occurrat. In profundo mari habitat; quod quidem in ejus ditione est et ipsi tanquam famulatur : mare enim, Neptuno jubente, intumescit aut remittitur, sive disperdat frangatque naves Ulyssis, sive Argivos campos fluctibus inundet, sive ejus aquas, naturæ legibus non jam obnoxias, in Acropolin Athenis, aut in Mantineæ templum attollat; irascitur ut regi suo serviat, inquit Homerus[1], et ejus obsequitur imperio; in maris æquore proruit equis tempestati similibus abreptus, quos æquare mortales equi non possunt :

οὐδὲ Ποσειδάωνος ἀελλόποδες κίχον ἵπποι[2].

Is igitur maris est dominus, quem ex iis quæ narrant poetæ de ejus vita atque potestate facillime agnoscere aliquis possit, et si non expresse ab Æschylo ποντομέδων ἄναξ diceretur, neque narraret Homerus aera Jovi, inferos Plutoni et mare Neptuno tributum fortuna fuisse.

Neque tamen dominus tantum maris est, ut arbitror, Neptunus, sed imago quædam et quasi expressa effigies ad ejus similitudinem : ipsius enim habitum vultumque præ se gerit, nunc ferum et incompositum, nunc placidum immotumque; aut vagos incertosque habet oculos, aut longe protendit tanquam in altum porrectos; cæruleos crines habet ejusdem ac mare ipsum coloris : eadem lege ac marini fluctus movetur, in pelago atque promontoriis violenti, placidi autem et quieti in speluncis curvatisque littoribus; mugit et ipse, exercitui in pugnam ruenti similis. Sed quamvis Neptunum hunc maris esse quamdam imaginem arbitrer, minime contendo ipsum nihil aliud esse nisi maris imaginem : græca enim religio arti cuidam prorsus similis est, sicut et

1. Il., XIV, 392.
2. Apollon. Argon., I, 1158.

ipsa ars antiqua cum religione erat consociata : quæ quidem pariter naturam imitantes in majus semper proferebant. Dum enim antiqua illa religio hominis figuram vultumque mari attribuit, perfectionem quamdam huic elemento impertit quam in rerum natura minime obtinet; ita ut mente prædita maris illa nova effigies non jam mera sit imago, sed dominus et dispositor rerum omnium ad maris naturam pertinentium. Illud enim insigne admodum notari potest in græca arte ac religione atque, ut sic dicam, in græco ipso ingenio, res omnes supra naturalem perfectionem suam concipi, et ad hunc quem Græci νοητὸν κόσμον vocabant, evehi. Itaque non una eademque imagine representari solebant maris deus atque ipsum mare; unde fit ut in eodem templo simul videre esset Neptunum et Thalassam quæ minime eadem foret atque Neptuni uxor Amphitrite. Quamvis enim naturæ vires antiqua illa græcæ religionis numina quodam modo repræsentent, sunt tamen naturæ viribus multo superiora; quippe quæ numina sint. Nulla mens est igitur in ea religione toto mundi corpore mixta, ut ait Virgilius; sed ars quædam qua naturæ leges observatæ semper fuerunt, natura autem in majorem perfectionem prolata.

2. Quod quidem de Neptuno dictum est, id quoque de Amphitrite dicendum arbitror. Primum autem animadvertendum græcam ex remotis maxime temporibus religionem non vires quasdam solummodo in rerum natura notavisse, solas et inter se sejunctas, aliquando etiam contrarias; sed vires etiam in machinam quamdam dispositas, motu et vita atque fecunditate præditam. Sive autem antiquis temporibus sacerdotes et viri sacris mysteriis initiati philosophiam sequerentur, res omnes et rerum naturam quasi in duas partes dividentem, sive solitum hunc rerum ordinem observarent quo ne ulla quidem res rem sui similem sola et per se ipsam gignere valeat, ita ut si quid nascatur illud e maris fœminæque commercio oriri necesse sit : deas non secus ac deos habuerunt; Neptunusque uxorem habuit Amphitriten : ipse

quidem imago fuit maris arti ac religioni consentanea, quoad mare haberi posset virile quoddam et fecundum quasi elementum; maris et ipsa imago fuit Amphitrite, quoad fœmininum atque fecundum est: non immerito igitur uxor Neptuni dicta est. Ex eorum autem commercio natus est Triton, sobolis illius masculæ parens quæ Neptuno et Amphitritæ cœtus est; Ponti[1], quem nominis causa Neptunum quemdam esse lubens putem, filius erat Nereus (νερόν, aqua) fœmininæque sobolis parens quæ cum Tritonibus conjuncta Neptuni et Amphitrites cœtum complet ac perficit.

Quod si Neptuni nomen Ποσειδῶν, quod etiam Ποτείδης vel Ποτίδας scribitur, e πότος et πίνω (bibo)[2] derivatum sit, credam equidem Amphitrites Tritonumque nomen originem ducere ex verbis τρίβω, τρι-, τερ-, (terere), quibus littora fluctibus teri designaretur; Nerea autem ad veterem quamdam radicem pertinere pæne obsoletam, superstantibus tamen verbis apud poetas usitatis νάω (fluo), et ναρός (liquidus). Quæ sane verborum illorum origines minime contrariæ videntur nostræ de antiquis numinibus opinioni, si modo aliquis non contendat deos meras naturæ esse imagines. Majus enim discrimen est Neptunum inter vel Amphitriten et mare, quam inter Achillem et hominem ex plebe quemlibet, vel mulierem inter quamlibet atque Meliam Aphroditen. Maris enim similitudinem refert Neptunus quoad indolem variam et incompositam, et quoad motus habitumque corporis: sed multo mari præstat, cujus perfecta imago in artibus est, deus autem et dominus in religione.

Nunc illum Neptunum qui in interiori Peloponneso habitat consideremus; cujus triplex natura est utpote qui fontium, fluviorumque et currentium aquarum numen habeatur, genitor autem equi et domitor, denique terræ motibus imperet.

1. Πόντος, Ποτίδας. — Herod. Π. μον. λεξ., p. 10. — O. Mull. Dor., II, 520. — Proleg., 290.

2. Clem. Alex. Protrept., 56. — Boetiger Amalth., II, 332. Vide notam ad calcem.

3. Quæ modo animadvertimus in maris illo numine, ea etiam in fluentorum deo notare nunc possumus, scilicet naturam ipsi esse non tantum agendo idoneam, sed vi etiam virili fecundaque præditam; et hoc quoque, scilicet multo eum iis rebus præstare quarum imago esse videtur. — Non per se ipsos ac sine lege humi fontes decurrunt; deus est qui ipsorum cursum dirigit atque moderatur; deus ille potestate et antiquitate nymphis omnibus fluminum quæ Oceanidos vocantur præstantior, aquas dulces in ditione sua universas obtinet : sicuti tridentis ictu mare supra rupes elicere potest, sic quoque fontes aut effundere aut desiccare valet, ut ex ejus cum Junone jurgio apparet quod circa Argos regnante Inacho evenit; valet etiam fluviorum cursum mutare ita ut supra terras perfluant ubi nulla antea flumina fuisse videbantur : « Postquam Ilium eversum est et Græci domum rediere, eorum murum Neptunus et Apollo diruerunt, missa adversus hunc fluviorum omnium vi, qui ex Idæ montibus in mare decurrunt, Rhesi, Heptapori, Caresique et Rhodii, Granici, Æsepique, divi Scamandri et Simoentis... Prior ibat Neptunus, tridentem manu tenens, et fluctibus evertebat lignea illa lapideaque fundamenta, tantis exstructa laboribus. Solum illud omne æquavit quod rapidi Hellesponti oram occupat; deinde flumina in alveos reduxit, in quibus pulchras antea undas ruebant. » Dulcium igitur aquarum potens est Neptunus sicut marinis imperat fluctibus; quod si figura quadam humana repræsentare nobis in animo est vim illam quæ fluminum motus propellit aut moderatur, quid nobis opus est alio quolibet numine? Valde igitur arti consentaneum est ideoque antiquæ religioni, duplicem illam potestatem eidem numini attribui, omnes simul aquas uno eodemque regenti imperio. — Genitor etiam est fontium in arte antiqua et religione Neptunus : sæpe enim effingitur fonte sub ipsius pedibus sive e saxo solove, sive ex ore del-

1. Il., XII, 20.

phini erumpente. Inter eas quas amavit virgines, quædam in fontes ab eo mutatæ sunt, aliarum nomen fontibus ipsis imposuit; sicuti videre est ex Amymonæ celebri fabula, vel Asopi fluminis, Neptuni et Perus, ut quidam aiunt, Neptuni et Eurynomes, ut placet cæteris, filii [1], et ex multis etiam fabulis: in quibus vis quædam virilis est ille deus, quum ex ejus commercio cum deorum hominumve filiabus humi decurrentes aquæ nascantur. Attamen non adeo perspicua est facilisque dignosci Neptuni religio, forsitan propter excelsas et fere inaccessas montium regiones ex quibus Peloponnesi aquæ oriuntur, ut eæ fabulæ quæ, ante quam novi dii regnarent, creditæ erant, ipsis etiam regnantibus non perstiterint. Itaque, dum fontium genitor Neptunus est in littoribus apertisque versus mare campis, in alta Arcadia, ubi reipsa fluminum omnium origo est, ex Oceano adhuc et Tethyde oriuntur [2]; unde vocantur fontes Oceanides, quarum excellentissima Styx ex altissimis Aroanii rupibus desilit. Ut ut vero ista sint, illæ eædem fabulæ Jove ac Neptuno priores, etsi rerum naturam non ita ad prima elementa revocatam exhibent, eam tamen non secus atque artes novæ novæque religiones in duas partes divisam præbent: patrem enim et genitorem habent fluvii Oceanum qui postea Neptunus factus est, matremque et genitricem Tethyda quæ ad marinam Amphitriten videtur fuisse redacta.

Enimvero fontium atque maris numina in unum eumdemque numen coaluisse non ita nobis mirum est aquas in mundo omni quasi per circulum motas intuentibus; quod quidem in Græcia præsertimque in Peloponneso prorsus manifestum est, et ab Aristotele in Meteoris suis plane ac luculenter expositum. Neptuni enim aquæ terram cingunt [3] ac circumeunt nunquam dormienti flumine [4], ἀκοιμήτῳ ῥεύματι; quæ quidem Oceani fluenta, ὠκεανοῦ ῥέεθρα, innumeris alun-

1. Apollod., III, 12, 7.
2. Hes. Theog., 336.
3. Iliad., XX, 50.
4. Æsch. Prom.

tur fontibus, ex quibus rivi primum deinde parva magnaque flumina conflantur. Invisi autem illi aquarum vapores quibus imperant Jupiter, Apolloque et Juno, circa montium cacumina conglobantur, in nebulas nivesque mutati ; quæ paulatim liquefactæ circulum hunc perficiunt, in quo nascuntur et gignunt aquæ perpetuæ. Circulum autem illum omnino non interrumpi frangique necesse est : vita enim, si uno quidem temporis puncto perit, quomodo ex se ipsa poterit indesinenter renasci? Non unam tantum ob causam Styx excellentissima inter Oceani filias facta est : quæ ex rupibus in atroci Nonacridis valle pendentibus delabitur, mira admodum et ab usu communi abhorrens ; sulfureas in ima valle aquas gignit maleficas, ut aiunt etiam nunc, at saltem funestum prorsus ac desolatum locum omnem reddentes ; denique, quod mirum est intuentibus, in summo aere, silens defluit indesinenter : quod si quis etiam consideret ex horrendis illis præaltisque regionibus fere omnes Peloponnesi aquas originem ducere, non mirabitur ibi quoque arcana quadam generatione flumina concipi, quorum maxime augustum est Oceanus, fonte (κέρας) ipsius apud Stygem sito, ipsiusque super fundamenta[1] eadem in regione Briareo Neptuni genero habitante.

4. Forsan equidem intemerata atque ἄῤῥητα religionis antiquæ mysteria recludo, falsis violata explicationibus : eadem tamen via pergere mihi in animo est, minime metuenti :

> Impia me rationis inire elementa viamque
> Indugredi sceleris.

Ergo, in versibus, forsitan commentitiis, antiquis tamen, ad Orphea, ut aiunt, pertinentibus, hæc verba invenio : « O qui mundum omnem concutis, quando in speluncarum gurgites magno fragore fluctus agis præcipites[2] ; » præterea

1. Hes. Theog., 775.
2. Hymn. Orph., XXII.

deum animadverto marino tridente montes percutere, et in iis locis coli præcipue ubi fluvii lacusque in cavernas proruentes sub terra non secus atque sub dio labuntur : unde lubens arbitrer in antiquis Græciæ fabulis terram in oceano esse fundatam, sicuti est in antiquis Indiæ religionibus. Quod si verum sit, non mirer equidem illud aquarum numen terræ etiam motus sub ditione sua obtinere : quod ubi creditum fuit, etsi ab antiquis maxime temporibus forsitanque regionibus foret acceptum, fidem novam ex iis quæ in Peloponneso notanda erant habuit. Ea enim inter omnes terræ regiones maxima habet littora adversus quæ impetum faciunt maris fluctus assidue, abrupta et cavernosa, gurgitesque sub montibus permultos, subterraneosque lacus, in quos aquæ ex campis deveniunt, μεγάλα κοιλώματα, ut ait Diodorus; et συστάσεις ὑδάτων ναματιαίων μεγάλας; denique sæpius terræ motibus exagitatur. Illudque etiam notandum est, Achaiam nihil, ut ita dicam, aliud esse nisi versam ad septentrionem declivitatem altorum Arcadiæ montium, ipsam autem inter omnes Græciæ partes terræ motibus concussam fuisse; eversasque Helicen et Buran urbes non secus ac Ægium, Patras, Ægas, Pellenen, Sicyona, tanquam sub montium sitas fuisse radicibus in quibus Styx super subterque terram delabitur circa Oceani fundamenta. — Ad subterraneas aquas terræ motus in Democriti philosophia tribuebantur, quod ipsum a religione accepisse non absonum a ratione est[1]. Non quidquam igitur contendimus quod apud veteres ipsos non acceptum foret, quum ea de mundo opinione explicari dicimus cur in uno eodemque numine potestates aquæ movendæ terræque concutiendæ coaluerint : veteres enim mundum ex aquis oriundum arbitrabantur.

5. Quum Neptunus amboque ejus fratres in Kroni patris solium successerunt, Rheæque locum occupaverunt Hestia, Heraque et Demeter, Hestia quidem virgo permansit. Hera

1. Arist. Meteor., II, 7.

conjugem habuit Jovem amboque Olympum habitavere; Demeter autem nullius numinis uxor facta est. Ut tamen ubertatis ipsa numen erat, nihil admodum e proprio sinu in lucem edere valebat, nisi virilis quælibet vis ipsi consociaretur. Ergo ex Jove peperit Coram, cujus sacrum nomen est Persephone nescio quare in vulgi cognitionem delapsum. Uxorem duxit Neptunus Amphitriten : aquosam propter naturam suumque cum Oceani filia connubium, maris præcipue numen Neptunus factus est. Sed ex recepta in præaltis locis religione exclusa est marina nimium Amphitrite; unde aliam Neptuno uxorem quæsiverunt : genitrix illa fuit Demeter quæ cum eo in excelsis Arcadiæ vallibus consociata est. Quod quidem admodum rationi consentaneum videtur : Demeter enim, quanquam est imago quædam et dea ubertatis, sterilis tamen et infecunda, sexu muliebri in solitudinem quasi redacto, manebat; ex ejus cum Jove amoribus filia quædam nata erat, Persephone, quæ vix adulta ad inferos rapiente Plutonis manu fuerat deducta; vis autem ejus genitalis in terra patefacta est, ubi primum in Neptuni venit societatem. Equum enim genuit, inter animalia præstantissimum, fluviorum ripas fontesque amantem, ubi cibi copiam invenire solet. Non mihi in animo est in Arionis equi fabulam ultra progredi neque Pegasi quidem attingere fabulam pæne a Peloponneso alienam. Quæstio illa nobis latius pateat : scilicet inter agnos juxta Arnen Mantineæ fontem natus erat Neptunus; eademque illa Demeter, quæ, equi genitrix, ipsius etiam imago erat cum equino capite et crinibus circa Phigaliam repræsentata, alia etiam animalia, ut ex eodem ξοάνῳ videre erat, e capite ejus enata gignere videbatur. Itaque lubens colligam equum hunc imaginem quamdam esse, omnium animalium, quæ aquosas regiones colunt, vices obtinentem : ita ut per hanc fabulam nihil aliud significetur nisi genitalis quædam et fecunda societas terram inter matrem (Δημήτηρ, Γῆ μήτηρ) vimque illam virilem quam aquis inesse veteres arbitrabantur. Ceres enim, quæ primum adversus Neptunum

irata fuerat, iras postea remisit quum in Ladone fluvio corpus lavisset : ut si quis diceret fluvium hunc exundantem ripas vastare et quasi contristare visum fuisse, quæ reipsa fecundatæ equis cibum præbuerunt sese in ejus aquis lavantibus. Etenim, ut jam antea animadvertimus, in fluviorum ripis, juxtaque lacus et in campis aqua irrigatis Neptunus hippius colebatur.

II. 1. Quædam collegi de diversis Neptuni religionibus, et conatus sum tum rationibus e philosophia deductis, tum ipsam rerum naturam intuitus, intelligere quid esset inter maris, fluviorumque, terræque motuum et aquosæ ubertatis numina in unum eumdemque deum coalescentia. Nunc ad generalia magis transeundum est, et ea quæ segregatim et singula concludimus una tanquam propositione enuntianda sunt.

Neptuni numen, sicuti unusquisque hominum aut etiam animantium, duobus modis considerari potest, tanquam individuum scilicet quod vires quasi expandit suas atque exercet, et tanquam genitale quiddam ac fecundum. Omnis enim natura animantium, cujuslibet sit sexus, vim per se habet ac potestatem vires exercendi ac sese actu quolibet manifestam præbendi. Quum autem res quibus vita inest, res alias sui similes gignunt, extemplo, discreto sexu, universa rerum natura in duas partes dividitur : nulla res enim est, in mundi quolibet angulo, quæ legem illam et conditionem fugiat, vel quæ gignere quidquam ex sese valeat in sexus sui solitudine permanens. Universa autem illa lex totiusque mundi ordo, cui ne una quidem res non obnoxia est, minime artes antiquas ac religionem fefellit : itaque quidquid de deorum natura creditum aut effictum est, ad alterutrum genus pertinet.

Quod equidem in græca religione maxime notatu dignum arbitror : namque inter omnia quæ Græci numina coluerunt, vix ullum invenies quod quidquam per se genuerit, unde fit ut

fere omnis deorum cœtus in conjugia divisus fuerit. Unum solummodo magnos inter deos numen excipies (quod quidem in græcæ religionis laudem vertendum esse arbitror), Pallada scilicet, absque matre e Jovis capite exortam. Neptunus quidem quum fluctus maris agitat, aut flumina dirigit, quum lacus in gurgites præcipitat aut insulas montesve concutit, nullius opera eget, qui proprias tantum vires exerceat. Sed nihil per se gignere potest; uxorem igitur habet in mare quidem Amphitriten, Tritonis matrem, in terris autem Cererem, Arionis equi matrem et Despœnæ virginis cujus sacrum nomen arcanum permansit. Numerosam habet sobolem Neptunus; non enim numina solummodo genuit ut sunt Despœna atque Triton, sed multos etiam, tum in Peloponneso, tum in Græcia vel in coloniis, heroas: nullum autem per se genuit; omnesque ejus filii filiæque ex ipsius cum deabus nymphisque vel fœminis commercio orti sunt.

Sit igitur Neptunus tum in arte antiqua tum in religione imago quædam aquæ, quoad vis virilis haberi potest: ut autem est aquæ natura indocilis, violentaque et incomposita, ea quoque Neptuni natura et forma est. Ita ut quæcumque in universa rerum natura fiunt, sive vita careant sive ipsa fruantur, modo ad aquas tanquam ad causam referri possint, ea sub imperio sint Neptuni et Neptunum habeant simul imaginem, dominum ac genitorem.

2. Quod si nunc inquiramus quam ob rem in illa rerum naturæ in duas partes divisione deæ conjugibus suis semper obnoxiæ sint, Neptuno scilicet Amphitrite; non una hujus rei causa est, quod vires atque intelligentiam vir femina præstantiores habeat, quibus viro natura ipsa submittitur; neque etiam satis est animadvertere in omni natura animantium universa quadam lege marem feminæ quoad corporis vires atque intelligendi facultatem præstare: cur enim multa fiunt in rebus anima carentibus, quæ, etsi nullo sexu inter se discernantur, ad Neptunum potius quam ad Amphitriten pertineant? Sed considerandum est in Græ-

eorum opinione marem esse illud quod revera est atque perfectum (τὸ ὄν, τὸ τέλειον), feminam vero quod imperfectum per se est, locus scilicet et materia quæ a philosophis[1] uterus nutrixque rerum appellatur. Valde autem absurdum foret illud quod est illi rei quæ non est, remque ipsam terminis suis ac limitibus, perfectum denique et bonum malo et imperfecto esse obnoxium; ideo tum in arte tum in religionibus universus dearum ordo deorum ordini submissus est. Neque rationi consentaneum foret deas cum diis æquari maribus : quod quidem reipsa minime est. Una tantum magna inter numina deos ipsos æquare visa est, Pallas scilicet; quæ matrem non habuit, ut pote quæ summæ sit intelligentiæ imago : hæc vero, si matrem habuisset, ab ea defectus ac vitia accepisset quæ feminea natura effugere non potest; unde fit ut Pallas, si matrem habuisset, e divinæ mentis gradu fuisset dejecta.

Itaque minime laudanda est Hesiodi in Theogonia[2] doctrina, e Terra scilicet omnia orta esse primoque Uranum et Montes : quoad montes, nihil adversus eum contendam; Cœlum vero e Terra natum esse, fieri omnino non potest; nihil enim e femina sola potest oriri. Non fecunda Terra est nisi cum Cœlo consocietur, ita ut non potuerit Cœlum ipsum gignere nec quidquam etiam aliud : bene igitur Apollodorus : In principio erant Cœlum et Terra. — Non ita vituperandus foret Hesiodus, si ex Urano omnia exorta fuisse scripsisset : namque, ut masculinum genus significat id quod est reipsa, potest, summo jure, vim quamdam habere per se genitalem ac fecundam; Jupiter enim Pallada absque matre genuit. Sed ab arte antiqua et religione etiam tunc deflexisset, quæ res omnes in duo genera divisere.

III. 1. Nunc autem fabulas illas doctrinasque quoad veritatem ipsam intuentibus nobis vix quidquam in eis falsum ac reprehensione dignum occurrit : sicut enim jam antea ani-

1. Plat. Tim.
2. Hes. Theog., 131 et sq.

madvertimus, in rerum omnium natura duplex ea lex est ut res quæque individua vires suas per se exerceat, neque per se quidquam gignere possit. Quum igitur ars antiqua et religio, mixtæ primum aut saltem vinculo quodam arcto conjunctæ, hominis individui figura vel alia qualibet sive commentitia sive naturali forma eas res repræsentant quæ in animantibus aut in vita carentibus fiunt, quidnam est in ea re quod veris naturæ legibus repugnet? Nihil omnino est. Namque una res est individuum quodque, et vis quædam vita prædita quæ materiæ partem aliquam, corpus scilicet ac membra, sibi vindicat et sui facit propriam ac peculiarem; qua quidem instructa late cæteras res sub imperio suo tenere conatur : sic præditæ vita res omnes compactæ sunt. Quod autem ad vita carentia pertinet, nonne videmus eorum ejusdem generis partes in locum unum semper tendere in quem conveniunt et coalescunt, communi tanquam consensu agentia ita ut mole sua res etiam intelligentia præditas vincant sæpius atque pessum dent? Ita aeris partes in unum supra terram coeunt ubi sæpe locum mutantes ventos gignunt et procellas; aquarum vapores ab omni parte circa montium culmina in unum corpus conglobantur, et nubes gignunt unde pluvia decidit; igneæ quoque partes in media orbis penetralia permanent et in obscura illa sede lacus magnos fluviosque ardentes componunt; aquarum particulæ per terrarum strata sub montibus defluunt, perque rimas exeuntes ad lucem redeunt; inde postquam in valles devenere, flumine magno, equis similes, ad mare decurrunt; in maris autem ingenti sinu collectæ unaque et tanquam ex composito sese commoventes, tempestates miscent sonoras, tanquam ingentes tauri aut exercitus clamores magnos ac mugitus attollunt, in concavis quiescunt littoribus, oras et scopulos conterunt. Interea, ab excelsis montibus nive candentibus perpetua, unde aquæ ducunt originem, ad profundos usque maris gurgites, gignunt aluntque seu in ipsis fluctibus sive in ripis ac littoribus innumera genera animantium. Itaque

ipsa rerum vita carentium natura ad unitatem scilicet per molem et concentum tendere solet, neque unquam fecunda esse desinit. Ars autem antiqua et religio, quum illam Neptuni imaginem, indolemque et oris lineamenta, quum illos denique amores de quibus locuti sumus effinxerunt, æternum naturæ ordinem legesque immutabiles secutæ sunt.

Imo nihil eas fecisse nisi jure admodum ac merito arbitror. Religio enim formam illam Neptuni minime imaginem meram esse rerum naturæ voluit, sed deum, vita scilicet præditum et individuum, vim quamdam mentis potentem, dominum rebus suis rite imperantem, dispositoremque ac providentiam bona malaque prout opportunum judicat mortalibus impertientem. Minime equidem Germanis quibusdam assentio antiqua Græciæ numina nihil aliud esse nisi rerum naturæ imagines ad similitudinem expressas contendentibus : quæ sane natura rerum multo sunt superiora, utpote quæ ipsi imperent, ipsam gubernent, neque ei paria sint nedum obnoxia. Neptunum, non ejus fluctus, precabantur; exorabant paces divum qui cuncta gubernant[1]. Novi equidem in religionibus quibusdam, apud plebem ignaram acceptis, sacrificia fieri fulguribus, procellis, tonitribus[2], Bathi scilicet circa Alphei ripas : sed nostris quoque diebus res quasdam ligneas aut lapideas non ruri solum, sed in magnis etiam urbibus multi homines honoribus summis prosequuntur; neque tamen contendat aliquis materiæ cultum apud christianos vigere. Ergo non reddit græcæ religionis rationem qui deos dicit rerum naturæ esse imagines; quippe qui non imagines tantum sint, verum etiam dii.

Quod autem ad artem pertinet, ipsa quoque secundum veras rationes a veteribus Græcis tractata est. Nullam enim artem adhibet qui res ipsas integra similitudine exprimit et quasi transcribit, sive animantium quemlibet imitetur sive

1. Lucr. de Nat. rer. V.
2. Paus. Arc., 29.

partem aliquam terrarum in tabula coloribus eximiis depingat. Majus enim aliquid et sublimius affectare solent veræ artes, quod non oculis videtur, mente sola concipi potest : itaque dum naturæ leges imitantur, minime necesse est formas figurasque ipsas rerum ad similitudinem reddant; ad intelligentiam enim, non autem ad sensus spectant; unde fit ut opus omne secundum artis leges compositum naturam rerum quodam modo repræsentet, etsi multo sit natura superius, utpote quod, simplex et unum, magis etiam sibi consentiat, denique omni modo sit perfectius. Ars autem antiqua non aliam viam secuta est : omnia ejus opera naturam rerum imitata sunt, cujus leges, habitumque et tanquam mores exprimebant, ita tamen ut ipsa naturam rerum pulchritudine et omnis generis perfectione vincerent. Nobis exemplo sit Neptunus : corporis enim habitu orisque lineamentis leges exprimit, figurasque et motus maris atque aquarum; sicut autem aquæ inest vis quædam multa generandi, ita quoque. in artibus non secus ac in religione, viriles habuit formas Neptunus, uxoresque et amicas, variamque et numerosam progeniem.

2. Neque tamen contendo æquam in Græcorum religione fuisse excellentiam quæ fuit in eorum artibus. Utraque enim, ars scilicet atque religio, ad Deum spectat, qui non earum finis tantum sed etiam origo sit : ad id autem tendit religio, ut Deum ipsum ejusque veram naturam hominibus patefaciat; artes rerum naturam nobis ostendunt majori pulchritudine ac venustate ornatam, ita ut mentem nostram, rebus ipsis et sensibus ereptam, ad hanc regionem attollant, quæ Deum inter mundumque sita est : ut enim naturæ assumunt leges, aliquando etiam formas ac figuras, ita Dei absolutam, quantum a nobis concipi potest, perfectionem. Quum igitur religionem antiquam artem quamdam fuisse dicimus, eo declaramus simul quid sit in ea pulchrum laudandumque; quid sit autem falsum ac vituperandum : quæ enim mentem nostram ad illas artis veræ regiones extollit Deum inter mun-

dumque sitas, eadem non tendit altius, neque ad illud veræ religionis propositum pervenit, scilicet ad Deum. Ergo vere dii sunt Neptunus cæteraque Græciæ numina, utpote qui rerum naturam atque humanitatem nostram multo superent: ideo tamen non sunt ipse Deus: eorum enim nullum est qui Deum æquare possit; imo omnia una Olympi Tartarique numina Deo sunt multo inferiora. Deus enim indivisam habet perfectionem; unus est, solusque, et solitarius; simplex ejus actus est, singularisque et æternus; uxorem ducit nullam, quippe qui sit nulli materiæ obnoxius; unde fit ut filias nullas nullosque filios habeat, nec quidquam gignat, quamvis res omnes ipsosque deos mente æterna conceptos fecerit et creaverit. Itaque in religione illa Græcorum, quæ artibus tam apta fuit adjutrix, Deum verum prorsus ignotum fuisse arbitramur.

NOTA

DE QUIBUSDAM NOMINIBUS IN HAC THESI USURPATIS.

I. Αἰγαιών. Nomen est illius Centimani quem Briarea apud deos, ut ait Homerus, vocare solent. Ad radicem αἰγ refertur, cujus αἰγαι forma est quædam derivativa causam indicans, ita ut significare videatur : qui facit τὰς αἶγας.

αἶγες, fluctus sunt in vulgari Græcorum sermone, unde
αἰγίς, tempestas qua fluctus permoventur. Substantivum cecidit
αἰγή quod fluctus etiam, ut arbitror, significasset; sed in urbis, quæ
Αἶγαι vocatur, nomine servatum est. Cecidit etiam verbum, præter
Αἰγοῦσα quod participium est et fluctibus agitata significat.

Una est insularum *Ægatum*, quarum nomen idem etiam sonat.

Ex eadem quoque radice, auctis formis, derivata fuisse videntur :

Αἰγῶν, Αἰγαιών, Αἰγαῖον πέλαγος, Mare Ægæum, scilicet fluctuosum;
αἰγίαλος, littus planum et arenosum, in quo fluctus volvuntur, quod minime idem est atque ἀκτή (ἄγνυμι frangere), littus excelsum atque saxosum in quo fluctus franguntur;
Αἰγιαλεύς nomen attici montis;
Αἰγίλα, insula quædam in Ægæo mari;
Αἴγινα, Ægina insula, mediis in fluctibus;
Αἴγιον, Αἰγείρα, in Achaia;
Αἰγέστη, Segeste in Sicilia, etc.

Si observaveris in æolica dialecto αἶγες fieri
Ϝαῖγες, et in cretica
βαῖγες, non immerito cum illis verbis conferas :
vagues gallicæ linguæ,
wogen germanicæ,
wave anglicæ, et præsertim verbum sanskritum
vaha fluctus quod a *vah* (vehere et fluere) ducit originem.

Verbum autem αἴξ, capra, minime ad eamdem familiam pertinere putem quia in sanskrita lingua *adscha* dicitur, quod idem atque αἴξ est neque ullam cum *vaha* cognationem habet. Idem est etiam de verbo ἀΐσσω ad quem referuntur ἄϊκες et ἄϊκαι (saltus), quæ nunquam pro αἶγες aut αἶγαι usurpantur neque fluctus significant.

II. Βριαρεύς. Idem est atque Ægæon; sed nomen hoc apud homines, illud in deorum lingua solet usurpari. Quod quidem ad βριαρός vel βριαρής refertur, et significat *robustus ;* verbo enim βριάω robustum reddere intelligitur, quod cum particula βρι non male conferas qua verborum sensus augeri solet, et cum βρίθω (gravatum aliquem iis quæ fert esse) unde βαρύς cæteraque ejusdem radicis in hominum sermone verba deducta sunt. — Item in sacra Indiæ lingua *bhri* ferre significat, unde *bhara* (pondus) ducit originem. — Quæ si vera sit Briarei nominis etymologia, idem ferme valet atque Ægæon, quippe quæ ambo a verbis *bhri, vah vim ferendi* significantibus radices trahant : itaque non male dicebat Homerus eumdem deum apud homines Ægæonem, apud deos Briarea vocari.

III. Κέρας. Hoc verbo apud Hesiodum fons Oceani intelligitur, non autem cornu Oceani; nescio enim an tunc temporis Oceanus cornu instructus effingeretur. Ergo melius illud conferas cum verbo κεράννυμι (fundere et miscere), cum κρατήρ (fontis alveus) et cum κρήνη : quæ verba forsitan a radice sanskrita *Krí* (perfundere) deducta sunt.

IV. Νηρεύς, Νηρείδες. Rite deducitur Νηρεύς ab adj. νηρός vel ναρός, fluens, liquidus; quod verbum cum multis aliis in græca lingua cognatum est, quorum hæc præcipua sunt :

νάω fluere, [sanskr. *snu* et cum *guna snav.*] unde
νᾶμα fluentum;
ναῦς navis, sansk. *nau* unde *navya* (navigabilis);
Ναϊάς vel Νηάς Naias, fluentorum nympha;
νῆσος insula, quod forsitan verbum aliunde deductum est;
ναρός sansk. *nára* aqua, vel *nîra* sicuti νηρός, unde apud Græcos etiam nunc νερόν aqua dicitur, correpta ā in ă ut vulgo fit.

Inde non male aliquis colligat Nerea et Nereidas Oceani fluentis, sicuti Naiadas fluentis dulcium aquarum, præesse.

V. Πόντος, Ποσειδῶν. De iis nominibus referam ea quæ scripsit Clemens Alexandrinus (Protrept. 56) : τί γάρ ἐστι πρότερον Ποσειδῶν ἢ ὑγρά τις οὐσία ἐκ τῆς πόσεως ὀνοματοποιουμένη ; scilicet hujusce radicis verba conferemus, non enim quidquam ex iis colligere nobis in animo est :

Πίνω, cujus radix in secundo aoristo cernitur πιεῖν, sanskr. *pí*, bibere
et in ejusdem temporis imperativo πῶ, sanskr. *pá* bibere

Corripitur autem radix in derivatis, quod vulgo fit apud Græcos :
πόμα (vel πῶμα) πόσις, etc.;
ποτήριον pōculum, pătera, sanskr. *pâtra* (vas ad bibendum);
ποτός quod bibere possunt; πότιμος;
ποταμός fluvius;
πόντος, pontus, sanskr. *pátha* aqua, *páthis* mare (a *pá* bibere);
Ποτίδας, Ποτίδης, Ποσειδῶν Neptunus, unde etiam mensis Ποσειδέων dictus est.

VI. Ἀμφιτρίτη, Τρίτων. Ad radicem referri videntur quæ apud Græcos quinque formas habet :

1° τορ, scilicet (α τιτραίνω) ἔτορον; τόρος; τορμή, circuitus;
2° τερ, unde τέρην, teres; τέρετρον; τείρω, tero;
3° τριπ forma aucta est unde τρίβω, τρίψις, τριπτός, etc.
4° τρη scilicet τρῆσις, τρητός;
5° τρυ unde τρύπα vel τρῦμα, gallice *trou*.

Quæ quidem omnes formæ derivatæ videntur, quum primitiva forma sit τρι, quæ in nominibus Amphitrītes et Trītonis apparet sicut in latino verbo *trītus*. Sanskrite etiam dicitur *tri*, trajicere, quod per *gunam* in formis derivatis *tar* fieri solet. Unde non male forsitan aliquis colligeret illa numina mari imperitare littora terenti.

INDEX RERUM.

Vidi ac perlegi,

Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona, prid. non. april. ann. M DCCC L,

Facultatis litterarum in academia parisiensi decanus,

J. Vict. LECLERC.

Typis mandetur,

ROUSSELLE,

Rectoris vices gerens.